
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
24 D
22

Animadversiones IOAN. PISCATORIS ARG. IN DIALECTICAM :

Exemplis Sacr. literarum passim illustrata.

EDITIO SECUNDA:


Nonnullis locis correcta, compluribus locupletata.

Epistolæ duæ de his in P. Rami Dialecticam animadversionibus: altera Gulielmi Tempelli, altera Joan. Piscatoris, separatim excusæ extant.









FRANCOFURTI
Apud hæredes Andreæ Wecheli,
M. D. LXXXII.


ΕΙΣ ΠΕΤΡΟΝ ΤΟΝ ΟΖΟΝ

Ιωάννου τοῦ Αλιέος τετράστιχον.

Πέτρος ἔης, ὅτι πολλὰ διωχθεὶς, καρτερὸς ἔτλης·
Ὄζος ἔης, σοφίης αὔθια καλὰ φέρων·
Οὐ μόνον αὔθια καλ', ἀτὰρ αὖ γλυκεροὺς ἔτι καρπούς·
Καρποὺς σακχάρεος καὶ μέλιτος γλυκίους.


CLARISS. VIRI IOAN. STVRMII DE PETRO RAMO JUDICIUM.

Epistola ad Henr. Schorum.



DE P.Ramo si petis, ut petis, quid sentiam: Virum bonum illum esse judico: & hominem bene literatũ, & judicio expolito præditum: qui hac vita, ut vocant, Scholastica, & illius stipendio contentus, ampliores opes aut honores nõ requirit. Nam quod alios offendit, me non lædit: quoties liberiús judicat de Aristotelicis prę-ceptis, alium in iis ordinem & viam requirens: quædam etiam desiderãs quæ deesse videntur. Fecit idem Aristoteles iis qui ante ipsum scripserunt: Dialecticis, Rhetoricis, Philosophicis scriptoribus. Et scholæ ipsæ in Academiis, quas defendunt reprehensores [redacted]: & ordinem immutarunt Aristotelicum, & multa prætererierunt, multaq; de suo addiderunt: & Rudolphus Agricola istud jus sibi etiam arrogavit: & non idem quod Aristoteles, sentit & tradit de locis inveniendi. Ipsi etiam Mathematici, quorum certę sunt semitæ: tamen non iisdem insistunt omnes, quibus Euclides & Ptolemæus, vestigiis. Ego æquitatem & humanitatem in nostris judiciis quæ de aliis facimus, desidero. Si idem semper sentiendum & loquendum sit: nihil novi invenire liceat,

IOAN. PISCATORIS AD OPT. INDOLIS MAGNÆQVE SPEI ADOLESCENTEM PAUL. OLEVIANUM GASPARIS F. præfatio.



LERIQUE *adhuc philosophiæ studiosi (charissime Paule) præclara quadam opinione ac præjudicio, sicut de reliquis Aristotelis libris, ita inprimis de Organo ejus Logico imbuti: ægré ferunt, Petrum Ramum suis animadversionibus jampridem illud reprehendere ausum, á plurimis quibus refertũ est erroribus & nugis & tricis ipsum repurgasse. Contrà non desunt etiam qui nimio novæ P. Rami Dialecticæ amore abrepti, plus quám par est, illi tribuant, nimiumq; securé in ipsa acquiescant. Utrique reprehensione digni sunt. nam philosophiæ studiosum neque ita ignavum esse oportet, ut àd judicandum aliorum inventa sui vires ingenii non adhibeat: neque ita servili ingenio esse convenit, ut in ullius magistri, sive veteris sive novi, verba juret: quin potiús libertatem judicandi, cum singulari veritatis studio conjunctam, retinere atque usurpare omnes debent. Ac ut de meipso nonnihil dicam: non quidem ulla jactantia, sed simpliciter veritatis attestandæ gratia: equidem á puero in præceptis Aristotelicis Sturmianarum partitionum enutri-*

enutritus, ipsum postea Aristotelis Organum, primúm in patria, tum á M. Melchiore Speccero Theologo, tum á Leonhardo Hertelio, utroque sané docto viro: deinde veró Tubingæ á clariss. philosopho Jacobo Schegkio per quinquennium, maxima sui parte explicari audivi: privatim quoq; tum illa quæ audiveram, tum reliqua quorum explicationem ex ullo præceptore audire non contigerat (ea autem sunt Topica) adhibitis Schegkii commentariis, partim in lucem editis, in sextum scilicet & septimũ librum, partim privatim ex dictantis ore conscriptis, in quinq; priores, meditatus sum: atque ita totam meam adolescentiam, florentissimam nimirum ætatis partem & ad discendum accommodatissimam, post studium sacrarum literarum in Logicis Aristotelis potissimúm consumsi. Et sané neque temporis in istud studium impensi, neque laboris adhibiti me unquam pœnituit. Veruntamen per id tempus in tanta veritatis luce versatus nõ sum, quãtam postea ex lectione ac meditatione Dialectices P. Rami per gratiam Dei sum adeptus. quorsum enim attinet, vel odii declinandi, vel modestiæ nescio cujus præposteræ affectandæ studio, ingrato silentio tegere atq; supprimere beneficium Dei? Primúm igitur quum mihi Tubinga Argentinam reverso, amicus quidam Dialecticam P. Rami legendam dedisset: perlegi illam vná cũ Audomari Talæi prælectionibus: & quanquam non omnino sine sinistro præjudicio, quo Tubingæ

imbutus fueram, ac proinde adhibita singulari cautione, ista perlegissem: tamen ex illa lectione jam tum clarior veritatis lux affulgere mihi cœpit. Contemsi tamen illam, aut certè non satis colui: abreptus illo prajudicio: itaque semel legisse contentus, plus temporis in disputationibus illis cognoscendis tunc non posui. Postea verò quum Heidelbergæ in Pædagogio oratio quædam Ciceronis explicanda mihi esset: egoque in illa explicatione usitatum scholarum morem quem à præceptoribus meis didiceram, sequi cœpissem: ibi tunc pater tuus, quum ut meus magistratus, docentem me audivisset: postea domi suæ meam docendi rationem improbare, meq; ad analysin Rameã cohortari. Ejus igitur hortatu impulsus, ego Dialecticam Rami relegere, diligentiusq; quàm antea meditari: deniq; in resolvẽda tum illa oratione, tum etiam Ciceronis Officijs, ad usum adhibere cœpi: ac tum primùm nativos & maturos studii mei Logici fructus percipere mihi visus sum. Quumq; Dialectica Philippi, quã discipulis meis explicabam, indies minùs mihi satisfaceret: pleraq;, præsertim in libro ultimo qui de Locis argumentorum est, emendare melioraque efficere studui. Quum verò de istiusmodi emendationis partim tædio, partim invidia apud patrem tuum quererer: is hac molestia & me & discipulos meos sublevaturus, adhibita mea opera Dialecticam Rami, ubi opus videretur, reformare, melioremque aut certè utiliorem nostrisq; scholis ac-

com-

commodatiorem efficere conatus est. Quãquam non nisi priorem artis partem quæ de Inventione seu locis argumentorum est, reformandam susceperamus: quód ea potissimúm in Philippo emẽdationem desiderare, cætera veró partim tolerabilia, partim etiam laudabilia utiliaq; viderentur. Et sané ille noster labor non parum postea me adjuvit, quum Sigenæ juniores Comites Nassovii, cæterique illis adjuncti, in Dialecticis instituẽdi mihi essent. Verumenimvero posteaquam illis in Geldriam cum patre profectis, scholaq; ad quam Sigenæ instituendam vocatus fueram, cõsilio in aliud tempus rejecto, huc Neostadium me contulissem: existimavi me operæpretium facturum, si quæ jam anté per biennium & eo amplius, in tota Rami Dialectica mihi minús satisfacere animadverteram, literis mãdarem: illasq; meas animadversiones, non quidem in nonum annum, ut ille poëtis imperat: sed tamen ad aliquod tempus quod editioni tempestivum videretur, pressas: aliquando in lucem emitterem, & cum philosophiæ studiosis communicarem. Hasce igitur animadversiones, jam ante annum á me conscriptas, divulgare visum est hoc tempore, meis quidem rationibus non satis (ut arbitror) tempestivo: sed non privatorum commodorum, verúm commodi publici rationem habendam duxi. Spero enim, hæc qualiacunque studiosis philosophiæ, qui candorem ad legendum attulerint, non nihil profutura. Ad te autem mi Paule, nominatim

mittere volui: ut aliquas patri tuo gratias, tum pro alijs ipsius in me beneficiis, tum pro communicata in hoc studii genere opera atque etiam ope (non pauca enim exempla ex ipsius volumine quodam Dialectico excerpsimus) referrem: tibiq; tanquam legitimo haredi, hanc patrimonii tui particulam, á patre tuo acceptam, restituerem. Etsi enim fortasse meis animadversionibus non admodum eges: quum domesticum praceptorem habeas patrem, in hujus artis usu jam diu multumque versatum, & singulari ad pueros instituendos dexteritate praditum: tamen quum ut in proverbio est, oculi plus videant quám oculus: velim, te meum oculum ad oculum patris tui: hoc est, mea mentis judicium ad judicium illius adjungere: maximé quum illa minimum discrepare, plurimumq; inter se congruere atq; consentire putem. Deum patrem luminum oro, ut mentem tuam non solúm hac luce rationis, verúm inprimis luce illa divina sui spiritus quotidie magis magisq; illustret: ut aliquando lucem veritatis tum philosophica, tum Christiana, iis qui in ignorantia errorumq; tenebris cōstituti fuerint, praferre, eosque ut utile Dei organon illustrare atq; erudire possis. Amen. Ex Neapoli Casimiriana, 4. Februar.

M. D. LXXX.

IN

IN P. RAMI DIALECTICES LIBRVM PRIMVM, QVI EST DE INVENTIONE,

ANIMADVERSIONES IOAN. Piscatoris Argentinensis.

CAP. I. Quid Dialectica.



IALECTICA, "est ars" bene differendi: eodemq; sensu Logica dicta est.

Dialectica] Vocabula hæc, διαλεκτικὴ & λογικὴ, sua natura adjectiva sunt: sed usurpantur substantivé: eó quód brevitatis studio substantivum omittitur: quod est δύναμις, vel ἐπιστήμη, vel τέχνη: vt plené dicatur δύναμις διαλεκτικὴ, id est, differendi facultas: vel ἐπιστήμη διαλεκτικὴ, differendi scientia: vel τέχνη διαλεκτικὴ, differendi ars. Similiter δύναμις λογικὴ, rationis facultas, &c. Nam etsi inter tria illa vocabula quorum aliquod supplendum esse judicamus, nonnihil discriminis sit: nullum tamen eorum est, quod non sit ad naturam Dialecticæ declarandam accommodatum. Etenim δύναμις, id est facultas, meritó vocatur Dialectica: quoniam ipsius vi Dialecticus bene differit de quæstione qualibet. sicut vi Rhetoricæ orator bene dicit de qualibet caussa. Vnde & Aristoteles has duas artes, Dialecticam inquam & Rhetoricam, δυνάμεις, id est facultates, esse ait; lib. 1. Rhet. cap. 4. Ἐπιστήμη veró, id est scientia, Dialectica vocari etiam potest, quatenus intelligitur Dialecticæ vocabulo ipsa de bene differendo præceptio atq; institutio, seu bene differendi doctrina: idque tum ratione subjecti, tum ratione principiorum. Ratione sub-

jecti: quia ſicut reliquæ ſcientiæ ſeu diſciplinæ, ut Mathematica, Phyſica, Ethica, circa certum genus rei extra intellectum poſitæ contemplatione ſua verſantur: ſic Dialectica ſeu bene diſſerendi doctrina occupatur in conſiderandis inſtrumentis docendi. quo reſpectu Ariſtoteles Dialecticam τρόπον ἐπιστήμης, id eſt modum ſcientiæ, appellaſſe videtur: Metaphyſ. α ἐλάττονι, circa finem: ubi ait, ἄτοπον ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην καὶ τρόπον ἐπιστήμης: hoc eſt, Abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam & modum ſcientiæ. Primo autem artis Rhetoricæ, cap. 4. vocat ἀναλυτικὴν ἐπιστήμην, analyticam ſcientiam: ubi ait, ἡ ῥητορικὴ σύγκειται μὲν ἔκ τε τῆς ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς. hoc eſt, Rhetorica cõſtat é ſcientia analytica, & politica ea quæ circa mores verſatur. Quam enim hîc ſcientiam, analyticæ ſcientiæ nomine intelligit: niſi eam ipſam quæ conſiderat περὶ τῶν ἐντέχνων πίστεων, de artificioſis probationibus: quam conſiderationem in Rhetorica arte tradenda ab aliis ſuæ ætatis dicendi magiſtris neglectam fuiſſe, capite primo reprehendit. At hæc, inquam, ſcientia nihil aliud quám Logica ſeu Dialectica eſt. Id quod ipſe Ariſtoteles capite primo aperté profitetur: ubi ita ſcribit:

ἐπεὶ δὲ φανερόν ἐστι, ὅτι ἡ μὲν ἔντεχνος μέθοδος, περὶ τὰς πίστεις ἐστίν· ἡ δὲ πίστις, ἀπόδειξίς τις (τότε γὰρ πιστεύομεν μάλιστα, ὅταν ἀποδεδεῖχθαι ὑπολάβωμεν) ἔστι δὲ ἀπόδειξις ῥητορική, ἐνθύμημα· καὶ ἔστι τοῦτο, ὡς εἰπεῖν ἁπλῶς, κυριώτατον τῶν πίστεων· τὸ δὲ ἐνθύμημα, συλλογισμός τις· περὶ δὲ συλλογισμοῦ ὁμοίως ἅπαντος, τῆς διαλεκτικῆς ἐστιν ἰδεῖν· ἢ αὐτῆς ὅλης, ἢ μέρους τινός· δῆλον, ὅτι ὁ μάλιστα τοῦτο δυνάμενος θεωρεῖν, ἐκ τίνων καὶ πῶς γίνεται ὁ συλλογισμός, οὗτος καὶ ἐνθυμηματικὸς ἂν εἴη μάλιστα· προσλαβὼν, περὶ ποῖά τε ἐστὶ τὰ ἐνθυμήματα, καὶ τίνας ἔχει διαφορὰς πρὸς τοὺς λογικοὺς συλλογισμούς. τό, τε γὰρ ἀληθὲς, καὶ τὸ ὅμοιον τῷ ἀληθεῖ, τῆς αὐτῆς ἐστι δυνάμεως ἰδεῖν. hoc eſt, Quum veró manife-

nifestum sit, artificiosam *de dicendo* institutionem, circa probationes versari: probatio autem, sit demonstratio quædam (tunc enim credimus maximé, quum rem demonstratam esse putamus) demonstratio autē rhetorica, enthymema sit: & hoc, ut simpliciter dicam, inter probationes principatum obtineat: enthymema veró, sit syllogismus quidā: de syllogismo veró pariter omni, Dialecticæ sit considerare: aut ipsius totius, aut partis alicujus: liquet, qui hoc maximé potest contemplari, é quibus & quomodo fiat syllogismus, hunc etiam enthymematum faciendorum facultate maximé instructum esse; si præterea assumat, circa quales res versentur enthymemata, & quibus rationibus differāt á syllogismis logicis. nam & ipsum verum, & id quod simile vero est, considerare, ejusdem facultatis est. Ecce, considerationem τῶν πίστεων, id est probationum, quam paulo anté tribuerat Rhetoricæ, hîc Dialecticæ vendicat. quare quum postea dicat, Rhetoricam ex analytica scientia constare: equidem non video, quid nam aliud eo nomine quám ipsam Dialecticam intelligi velit. Sed in eodem quarto capite Dialecticam rursum scientiam nominat, nempe ἐπιστήμην τῶν λόγων, id est scientiam rationū: ubi ita ait: ὅσῳ δ' ἄν τις ἢ τὴν διαλεκτικὴν, ἢ ταύτην, μὴ καθάπερ αἱ δυνάμεις, ἀλλ' ἐπιστήμας, πειράσηται κατασκευάζειν: λήσεται τὴν φύσιν αὐτῶν ἀφανίσας, τῷ μεταβαίνειν ἐπισκευάζων εἰς ἐπιστήμας ὑποκειμένων τινῶν πραγμάτων, ἀλλὰ μὴ μόνον λόγων. hoc est, Quoad aliquis vel Dialecticam, vel hanc (*id est Rhetoricam*) non tanquam facultates, sed scientias, conabitur instituere: is non animadvertit, se naturam earum obscurare, eó quód sua institutione transcendat in scientias subjectarum quarundam rerum, non autem solúm rationum. Quibus verbis etsi Aristoteles *scientiæ* nomen abrogare Dialecticæ videatur; tamen ei proprié acceptum relinquit: nec nisi per synecdochen generis usurpatū adimit. Quippe scientiam in scientiam rerum & rationum

distinguit: & Dialecticam atque Rhetoricam ſcientias rationum eſſe cōcedit: non autem vult, eas tractari tanquam ſcientias rerum: quas quidem primó ſynecdochicé ſcientias appellans, facultatibus oppoſuit. Sic igitur apparet, vel Ariſtotele authore, Dialecticā ratione ſubjecti, nomen ſcientiæ mereri. Ratione veró principiorum Dialectica etiam ἐπιστήμης nomen meretur: quia bene diſſerendi doctrina ſuis nititur principiis & tanquam fundamētis, in quibus ἐφίστασθαι, id eſt inſiſtit, nec ulterius progreditur. Hæc enim hujus verbi origo videtur eſſe, ut acuté D. Scheccius obſervavit ac tradidit. Cujus quidem etymi veritatem confirmare videtur Germanorum verbum *Verſtehen*, id eſt intelligere: quod ſimiliter á ſtando, id eſt *ſtehen*, originem traxit. Porró τέχνη, id eſt ars, jure appellatur Dialectica: quoniam Dialecticus illius vi τίκτει, id eſt parit artificioſum quoddam opus, videlicet rectam legitimamq; inſtitutionem ſeu doctrinam. Et quanquam Ariſtoteles lib. 6. Ethic. ἐπιστήμην & τέχνην, id eſt ſcientiam & artem, diverſos mentis habitus facit: tamen idem alibi popularem loquendi rationem ſecutus, diſcrimen illud negligit: ut in Topicis Muſicam & Grammaticam, quas τέχνας id eſt artes eſſe conſtat, tamen ἐπιστήμας, id eſt ſcientias, vocat. 2. Top. 2. item 4. Top. ult. Item Metaphyſ. α μείζονι, cap. 1. ait, τὴν τέχνην, τῆς ἐμπειρίας οἰόμεθα μᾶλλον ἐπιστήμην
» εἶναι. id eſt, Artem exiſtimamus experiētia magis ſcientiam eſſe. Sic eſt apud Ciceronem lib. 4. Academ. quæſt. Artem ſine ſcientia eſſe non poſſe. An pateretur hoc Zeuſis, aut Polycletus, nihil ſe ſcire, quum in his eſſet tāta ſolertia? Sic Medicina, & ſcientia eſt ſanitatis ac morbi, & ars ſanitatem reſtituendi atque conſervandi, morbum veró depellendi atque præcavendi. Huc facit diſtinctio illa quorundam, qui Dialecticam diſtinxerunt in docentem & vtentem. DOCENTEM vidētur vocare eam quæ de bene diſſerendo docet ac præcipit: UTENTEM veró qua Dialecticus in diſſerendo utitur. Harum illi, nomen *ſcientiæ*: huic veró, nomen *artis* convenit.

Porró etsi Aristoteles vocabulo διαλεκτικῆς interdum tanquam speciali utitur, ad significandum artẽ de quolibet proposito problemate in utramque partem disputandi probabiliter: quam artem sese in Topicis tradere profitetur: tamen quum ista divisio artis disserendi in διαλεκτικὴν & ἀποδεικτικὴν, tanquam in species contrarias, legitima non sit: ut paulo póst ostendemus: quumque ipsemet Aristoteles considerationem syllogismi, Dialecticæ tribuat: cujus tamen consideratio ad neutrã illarum quæ ponuntur specierum pertinet: author noster meritó Dialectices vocabulo neque speciem artis intelligit, cui speciei alia aliqua species contrarié sit opposita: neque etiam genus quod in species possit dividi: (nisi in specialissimas, quas vulgus vocat individua, ut Aristoteles ἄτομα) sed intelligit genus quoddam infimum, quod vulgó vocant speciem specialissimam, item individuam: ut Porphyrius εἶδος εἰδικώτατον & Aristoteles εἶδος ἄτομον: ejusque non species, sed partes tradit. Verba Aristotelis é primo capite libri primi Rhet. paulo ante recitavimus. Cæterúm διαλεκτικὴ dicta est παρὰ τὸ διαλέγεσθαι, id est á colloquendo. quam esse nativam hujus verbi significationem, arguunt nomina inde ducta, διάλογος colloquium, & διάλεκτος sermonis proprietas. Sic autem appellata hæc ars videtur, quód Philosophi in collocutionibus & congressibus suis studiosé ea uterentur. Quanquam διαλέγεσθαι non tam colloqui, quám interloqui significat: unde in dialogis interloquutores nominantur, qui Græcis dicuntur οἱ διαλεγόμενοι. Hanc enim sermonis interruptionem seu intersectionem quæ in colloquiis fit, notat præpositio διά. quod ipsum etiam notari videtur phrasi illa apud Terentium, Sermones cædere. In colloquiis enim alter alterius sermonem interrumpit & quasi cædit ac secat: sicut cõtrá in oratione perpetua quum unus tantúm loquitur, omnia inter se cohærent. Respondet Germanorum verbum ***unterreden:*** dicunt enim, ***sich mit einander unterreden:*** ut διαλεκτικὴ Germanicé sonet ***unter-*** 1. *Rhet.* 1.

redkunst: ſicut rectè Philippus tradidit. Λογικὴ verò dicta eſt παρὰ τὸν λόγον, id eſt, à ratione. Eſt enim ars ratiocinandi, id eſt argumentandi, & omnino ratione utendi. Sunt qui λογικὴν interpretentur artem orationis: nam λόγος orationem quoq; ſignificat. Illi nomen hoc Dialecticæ attributum exiſtimāt per ſynecdochen generis: idque κατ᾽ ἐξοχὴν, propter excellentiam. Cúm enim etiam Grāmatica & Rhetorica λογικαὶ ſint: quarum altera circa orationis puritatem, altera circa ornatum verſatur: tamen inprimis eſſe λογικὴν Dialecticam: ut quæ verſetur circa orationis veritatem. Hæc ſententia cum vulgari illa conſentit, qua Grammaticam, Rhetoricam & Dialecticam artes dicendi nominant. Sed dicendi ars, ſola Rhetorica eſt: Grammatica verò loquendi & ſcribendi: Dialectica ratiocinandi, ſeu ratione utendi. Interea tamen notandum eſt, Ariſtotelem vocabulo Logices aliquando ſpecialiús uti: videlicet ad ſignificādum artem quam fingit peculiarem, argumentandi ex probabilibus atque communibus: quam aliás, idque ſæpius, Dialecticam vocat: eique Analyticam ſeu Apodicticam opponit. ut 1. Analyt. poſt. cap. 18. λογικῶς μὲν οὖν ἐκ τούτων ἄν τις πιστεύσειε περὶ τοῦ λεχθέντος· ἀναλυτικῶς δὲ, διὰ τῶν συντομώτερον. Et in fine ca. ὅτι δὲ ἐπίσαντ(α)ι, δέδεικται· λογικῶς μὲν πρότερον, ἀναλυτικῶς δὲ νῦν. ubi vox λογικῶς, ponitur pro διαλεκτικῶς: & ἀναλυτικῶς, pro ἀποδεικτικῶς.

Eſt ars] Dialecticam eſſe artem, probant vulgó ex artis definitione quam tradit Lucianus his verbis, τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν βίῳ. id eſt, Ars eſt veluti corpus doctrinæ, conſtans præceptionibus exerceri ſolitis ad utilem aliquem in vita finem. Hîc ars definitur, quatenus literis mandata eſt. Ariſtoteles verò artem definit, quatenus artificem perficit. τέχνη (inquit) ἐστὶν ἕξις ποιητικὴ μετὰ λόγου ἀληθοῦς, id eſt, ars eſt habitus faciendi cum ratione vera. Ubi etſi artis vocabulum ad opificum artes quæ mechanicæ appellantur, reſtringi videatur: illæ

6. Eth.

enim

enim sunt ποιητικαί: tamen sciendum, πρακτικὰς etiam esse artes: cujusmodi sunt omnes artes quæ liberales dicuntur, quód libero homine dignæ sint, & á liberis feré exerceri soleant. Cæterúm ποίησις & πρᾶξις, id est effectio & actio, ita differunt: quód illa opus aliquod post se relinquit, hæc nullum. Exempli gratia, ποίησις sutoris relinquit post se calceum: πρᾶξις Musici, nullum relinquit opus. Quum enim desiit cantus, nihil inde remanet quod oculis subjici atq; ostendi possit.

Bene differendi] Adverbium *Bene* redundare videtur: ut quod contineatur artis vocabulo. Ars enim omnis, bene seu recté faciendi agendíve habitus est: ut modó ex Aristotele tradidimus. Differendi autem verbum hoc loco (sicut & apud Ciceronem passim) per metaphoram usurpatum, idem valet quod Docere. Sumta metaphora ab olitoribus, ut Varro admonet. Quemadmodum enim olitor diversa semina in diversas areas serit, atque ita differit, id est hac illac serit: ita qui docet, diversas quæstiones diversis locis proponit & explicat, unamquanque scilicet suo loco. Unde intelligitur, differendi verbo non omnem Dialectices vim comprehendi: sed unam tantúm ejus particulam, videlicet methodum, notari. Methodi enim est, singula suis locis dicere: non autem diversa unum in locum confundere: ut nec olitor diversa semina in unam aream confundit: sed singula suis in areis serit. Et quanquam hæc propria est hujus verbi significatio: tamen ejus usum vix apud ullum authorem reperias. Metaphoricę autem illius significationis usus tum apud alios authores, tum inprimis apud Ciceronē frequentissimus est. Quod ipsum etiam evenit verbo Disputandi: quo tanquā synonymo creberrimé Cicero utitur. Disputaré enim (si Varroni credimus) proprié significat, diligēter vites putare. quare Disputare pro Docere, metaphora á vinitore est. Quemadmodum enim vinitor vites putat, id est, superflua sarmenta ferro amputat: ita qui docet, is superflua, id est aliena & quæ ad rem non pertinent,

amputare atq; omittere debet: quæ una ex methodi legibus est. Unde perspicitur, nec disputandi verbum totam Dialectices vim complecti. Quæ quum ita sint, melior Philippi definitio videtur: quatenus Dialecticam artem docendi esse tradidit. nam adverbia quæ addit, Recté, ordine & perspicué, superflua videntur: quum ipso artis contineantur vocabulo: quemadmodum & pauló anté de adverbio Bene in definitione Rami, admonuimus. Diligenter tamen hîc cavendum, ne docendi verbum quod hîc proprium est, arctiús restringamus quám natura ejus postulat: hoc est, ne concionatores tantúm in templis, & professores atque præceptores in scholis docere putemus. Non ita est: sed docet, quicunque alterum in cognitionem rei incognitæ ducit: sive is naturam rei declaret, sive demonstret sententiæ veritatem. hæc enim duo sunt docendi genera. Itaque docendi verbum etiam ad forum & curiam, deniq; ad quemcunq; sermonem pertinet. Quo loco & illud notandum est, Dialecticam non solúm esse artem docendi, sed discendi etiã, id est intelligendi & judicandi, quid & quo modo d cat is qui docet. Itaque hac arte utimur in ἀναλύσει authorum: quando illorum scripta velut retexímus, ut & quid & quo modo dixerint, accuratiús exactiusque intelligamus. Similiter si per teipsum sine doctore rem quampiam discere, id est cognoscere atq; intelligere velis: hac arte tibi opus est. Quare hæc ars non solúm tam laté patet, quám laté patet hominũ sermo: sed etiam quám laté patet usus humanæ rationis. Vnde non solúm διαλεκτικὴ appellata est, á sermone: verúm etiam λογικὴ, á ratione. Sermonis, docere est: rationis, discere. Quare Dialectica & docendi & discendi ars est.

Cap. 2. de partibus dialecticæ, deq; argumenti generibus.

Dialecticæ partes duæ sunt, Invẽtio & Judicium.

dicium. Inventio, eſt pars Dialecticæ de inveniendis argumentis. Argumentum,″ eſt quod ad aliquid arguendū affectum eſt: quales ſunt ſingulæ rationes, ſolæ &″ per ſe conſideratæ. Argumentum, eſt″ artificiale aut inartificiale: Artificiale, quod ex ſeſe arguit: eſt autem, primum vel á primo ortum.

Primum, quod eſt ſuæ originis: eſtque ſimplex aut comparatum. Simplex, quod ſimpliciter &″ abſoluté conſideratur: Eſtq; conſentaneum aut diſſentaneum. Conſentaneum, eſt″ quod conſentit cum re quam arguit: eſtq; conſentaneum abſoluté aut modo quodam: abſoluté, ut cauſſa & effectum.

Partes duæ] Partitio hæc Stoicorum fuit, authore Cicerone in Topicis. Eſtque vera & legitima hujus artis partitio: quippe ſumta ex cauſſis ſubjectum artis cōſtituentibus, materia ſcilicet & forma. Etenim ſubjectum Dialecticæ docentis ſeu præcipientis, eſt explicatio quæſtionis: ſicut ſubjectum Dialecticæ utentis ipſa quæſtio eſt. At materia explicationis, argumenta ſunt: nam ex his explicatio conſtat. Forma, eſt argumentorum cum quæſtione explicanda diſpoſitio: quæ facit ut explicatio quæſtionis judicari atque intelligi poſſit, ac proinde nomen explicationis mereatur. Simili ratione dividitur Grammatica in Etymologiam & Syntaxim. nam ſermo (quod Grammaticæ ſubjectum eſt) conſtat ex vocibus tanquam materia, & vocum conſtructione tanquam forma. De vocibus Etymologia, de vocum conjunctione Syntaxis præcipit. Sed hanc partitionem nonnulli hodie reprehendunt: exiſtimantes, judicium non eſſe peculiarem Dialectices partem, ſed commune totius artis adjunctum, per totam artem fuſum: quippe quód & in inventione judicio opus ſit, nimirum in de-

lectu argumentorum. Verùm illi (quód pace eorum dixerim) non attendunt, quid Stoici vocabulo Judicii intellexisse videantur: nempe argumẽtorum inventorum dispositionem seu collocationem ad bene judicandum. Itaq; judicium pro dispositione dixerunt per metonymiam effecti. Judicium enim, id est intelligentia explicationis, ex argumentorum dispositione nascitur. Hoc sensu Stoicos judicij vocabulum in hac partitione usurpasse, ipsa ἀντίθεσις arguit: qua inventioni judicium opponunt. Quód si illos offendit judicii vocabulum, utantur vocabulo dispositionis: dummodo veram hanc artis partitionẽ retineant. Nec veró dispositio logica & judicium res adeó diversæ sunt, ut nõ possint jure eodem nomine appellari: quasi scilicet perinde hoc esset (sicut nuper quidam confidenter scripsit) atq; hominẽ & bovem eodem nomine nominare. Etenim judicium, dispositionis logicæ effectum est: ac proinde per metonymiam nomen illi suum convenienter potest attribuere. at homo & bos non consentanea, sed dissentanea sunt; ac proinde neutrum alteri suum nomen per metonymiam cõmunicare potest. Sed afferunt iidem loco hujus partitionis, divisionem quandam hujus artis in duas species, Topicam scilicet & Apodicticam. Et hanc divisionem videntur sumere ex divisione enuntiationis quę extát apud Aristot. in principio Analyticorum: ubi πρότασιν dividit in διαλεκτικὴν & ἀποδεικτικήν. Topicam igitur faciunt artem argumentandi ex contingentibus seu probabilibus: Apodicticam veró, ex necessariis. Verúm hæc divisio vitiosa videtur: quum sit una eademq; ars argumentandi & ex cõtingentibus & ex necessariis, quin etiam eadem sunt utrobiq; argumentorum genera, seu iidem (ut vulgo appellant) loci. quippe sunt caussæ tum contingentes, tum necessariæ: similiter effecta, subjecta, adjuncta. Nec veró si Aristoteles propositionem in dialecticam seu topicam & apodicticam divisit, continuó duæ species Dialectices, id est artis disserendi, hinc existunt. Duplex quidem hinc oritur syllogismus,

Topicus & Apodicticus: sed ratione tantúm materiæ duplex, non autem ratione formæ. Eædem enim utriusque syllogismi formulæ sunt, tribus figuris ab Aristotele comprehensæ. Declaremus rem simili. Aurifaber poculum nunc ex auro facit, nunc ex argento. num igitur quia materia poculi duplex est, ars etiam faciendi poculum erit duplex? Imó pari modo tractat aurifaber & aurum & argentum: fundendo scilicet, cudendo, scabẽdo, limando, poliendo. Sic sutor calceum nunc facit ex corio taurino, nunc ex vitulino, aliás ex hircino aut caprino: num igitur pro varietate corii, ars faciendi calceũ erit multiplex? Imó pariter tractat sutor quodvis coriũ: scindendo scilicet, suendo, modulis extendendo. Sic etiã disputator argumẽta seu probabilia seu necessaria pari ratione invenit ac disponit, ut quæstionem sibi propositam explicet. Retineamus igitur veterem illam Stoicorum partitionem in εὑρετικὴν & κριτικήν: quam & Cicero & post illum Philippus retinuit.


Inventio] invenire, proprié est in rem quam quæsieris, venire: id quod corporis est, rerumque corporearũ: corporis enim motu, oculorumque aspectu, & quærimus & invenimus. Est igitur hîc metaphora á corpore ad animum: nam invẽtio hîc est argumentorum, id est, earum rerum quæ ad docendum requiruntur, excogitatio. quanquã hîc inventionis nomine non ipsa illa excogitatio, sed ejus ars, per metonymiam effecti intelligitur. Traduntur enim hoc primo libro, argumentorũ genera: quæ qui memoria tenet, quæstioneq; proposita mentem ad singula refert, cogitando quænam in singulis illis generibus species ad quæstionem propositam pertinentes contineantur: is artem inveniendi quæ hîc traditur, tenet & exercet: ut qui cogitat, quæ sint rei propositæ caussæ, quæ effecta, quæ subjecta, quæ adjuncta, &c.

Judicium] Judicii nomine intelligitur hîc argumentorum inventorum dispositio seu collocatio ad bene judicandum: per metonymiam effecti.

Est quod] Satis commoda videretur hæc argumenti ex conjugato definitio: nisi author arguendi verbo nové uteretur. Arguere enim authori significat non solúm veritatem alicujus affirmationis aut negationis probare seu demonstrare: qui vulgaris hujus verbi usus est: verúm etiam rei cujuspiam naturam declarare seu explicare absque ullo syllogismo. Etsi autem eædem omnino rationes sunt, quarum usus est & ad demonstrandum & ad declarandum: tamen quum argumentum proprié dicatur, quatenus adhibetur ad demonstrandum: sciendum est catachresin esse, quum natura rei argumento quopiam declarari dicitur. Quod ut meliús intelligatur: sciendum est, argumenti usum esse duplicem, prout est duplex quæstio. Quæstio enim aut simplex est, aut conjuncta. Simplex, qua quæritur de re simplici seu unica: ut ejus natura declaretur. Et ad hanc nec Ita, nec Non, responderi potest. ut, Quid est peccatum? Quotuplex est peccatum? Quæ est caussa peccati? qui effectus? &c. Cõjuncta quæstio est, qua quæritur de rerum duarum inter se conjunctione, id est, affirmatione vel negatione: ut illius cõjunctionis veritas demõstretur. Et ad hanc responderi potest Ita vel Non. ut, Estne diabolus caussa peccati? Ita. Estne Deus caussa peccati? Non. Quum igitur duo sint quæstionis genera: duo etiam sint necesse est genera explicationis. Ea sunt, declaratio & demonstratio. Declaratio, est explicatio quæstionis simplicis: demonstratio, est explicatio quæstionis conjunctæ. Jam rationes quæ tum ad declarandum, tum ad demonstrandum, id est, omnino ad explicandum docendúmve adhibentur, eædem sunt reipsa: sed ratione usus differunt. Quatenus enim adhibentur ad demonstrandum, nominantur argumenta, quomodo & Cicero argumentum definivit, rationem quæ rei dubiæ faciat fidem. unde etiam argumentum Aristoteli πίστις, id est, fides, per metonymiã effecti dicitur. Quatenus veró adhibentur argumenta ad declarandum, id est, explicandum quæstionem simplicem: jam non

amplius

amplius argumenta (nisi καταχρηστικῶς) nominari possunt: quum non arguant, id est, sententię dubiæ veritatē non demonstrent. Esse autē hanc genuinam argumenti significationem: verbum Argumentari & nomen Argumentatio inde ducta, satis arguunt. Argumentari enim, est argumento demonstrare: & argumentatio, per argumentum demonstratio. Quod de duplici argumēti usu admonuimus, exemplo planum faciemus. Primū argumēti genus quod ab authore nostro traditur, caussa est. Jam caussæ usus est tum in declaranda quæstione simplici, tum in demonstranda conjuncta. Declarationis exemplum extat Jacob. 1. 13. Nemo quum tentatur, dicat se á Deo tentari: nam Deus tentari malis non potest, nec quenquam tentat. Sed unusquisque tentatur, dum á propria cupiditate abstrahitur & inescatur: deinde cupiditas posteaquam concepit, parit peccatum. His verbis Jacobus caussam peccati indicat: & hîc quæstio simplex est, unde nascatur peccatum? Respondet Apostolus: Non á Deo: sed á cupiditate hominis. Demonstrationis exemplum est in illo Christi, quum ad Pharisæos ait, Quomodo potestis bona loqui, quū mali sitis? His verbis argumentatur Dominus á caussa: & argumento caussę demonstrat, Pharisęos bona loqui nō posse, sed tantúm mala. Malitia enim cordis, malorum sermonum caussa & quasi fons est; sicut idem ait, Ex abundantia cordis os loquitur. Hîc est quæstio conjuncta, An Pharisæi possint bona loqui? Responsio, Non: argumentum á caussa. Duplex hic argumenti usus bene notandus & diligenter distinguendus est: magnam enim lucem doctrinæ Inventionis affert: ubi singuli argumētorum loci exemplis utriusque usus, declarationis inquam & demonstrationis, illustrandi sunt. Videtur hoc á paucis animadverti: quæ quidem ignorantia ex inopia vocabulorum nascitur. Quod si vocabula novare ac fingere auderemus: claré rem proponeremus ad hunc modum. Dialectica, est ars docendi. Id quod ad docendum proponitur, vocatur quæstio. Id quod ad docendū



adhibetur, generali nomine vocari possit documentum. Jam documẽtum est duplex: sicut & quæstio. Quęstio .n. aut simplex, aut conjuncta: sic documentum, aut declaramentum aut argumentum. Declaramentum, est documentum quod adhibetur ad explicandum quęstionẽ simplicem: Argumentum, est documentum quod adhibetur ad explicandum quæstionem conjunctam. Sed quoniam documenti vocabulum hîc novatum est: declaramenti, omnino novum: (analogum tamen deliramenti) proximum est, si á vocabulis istis abhorremus, ut argumenti duplicem esse usum dicamus: quemadmodum explicatum est.

Per se considerata] Hoc minús rectè dictum videtur. Argumenta enim per se & absoluté considerari nõ possunt: quum argumentum non possit esse aut intelligi sine eo quod arguitur, id est, argumento demonstratur vel etiam declaratur: ut caussa nõ potest intelligi sine effectu, subjectum sine adjuncto, &c.

Artifi. iale aut inartific.] Sumpta est hæc divisio ex Rhetoricis Aristotelis: sed vitiosa videtur propter posterioris membri falsitatem. Testimonium enim, quod inartificialis argumenti nomine intelligitur, non minús artificiale est, quám cæterorum argumentorum quodlibet. Neque enim majoris artis est, cogitare quæ nam sit caussa rei, aut effectus, aut subjectum, aut adjunctũ, aut alia quæcunque ratio: quám cogitare, quodnam testimonium extet ad sententiam propositam confirmãdam. Et in arte inventionis tam de testimonio, quám de cæteris argumentis præcipitur. Commodioribus vocabulis Cicero usus videtur, quum in Partitionibus oratoriis argumentum divisit in insitum & assumtum. Insitũ argumentum, est quod in ipsa quæstione quasi insitum est atque inhæret. itaque etiam quum investigatur, ex quæstione eruendum est: quod fit, dum cogitatur, quænam sit partis in quæstione conjuncta antecedentis vel consequentis caussa, qui effectus, &c. Assumtum argu-

mentum, est quod extrinsecus ad quæstionis conjunctæ alteram responsionem, nempe affirmationem aut negationem probandam seu confirmandam assumitur: cujus generis unicum est, testimonium.

Absoluté consideratur] Nullum argumentum absoluté cõsiderari posse, pauló antè admonuimus. Sed simplex argumentum absoluté considerari hîc dicitur respectu comparati: quia simplex argumentum comparatur tantúm cum eo de quo est quæstio: comparatum autem etiam cum re alia extra quæstionem posita.

Quod consentit cum re quam arguit] Ita scilicet, ut altero affirmato, etiam alterum affirmandum sit: itemque altero negato, alterum quoque negandum: sive necessarió, sive probabiliter. Hæc enim consequutio per istam consensionem intelligenda est.

CAP. 3. DE EFFICIENTE, PROcreante & conservante.

Caussa, est″ cujus vi res est. Itaq; primus hic locus inventionis, fons est omnis scientiæ: scirique demum creditur, cujus caussa teneatur: ut meritó dicatur á Poëta:

Felix qui potuit rerum cognoscere caussas.

Caussa, est″ efficiens & materia, aut forma & finis. Efficiẽs, est caussa″ á qua res est: cujus etsi vera genera nulla nobis appareant, ubertas tamẽ permagna modis quibusdam distinguitur: Primó quód″ procreet aut tueatur. Ovid. 1. de Remedio:

″*Ergo ubi visus eris nostra medicabilis arte,*
Fac monitis fugias otia prima meis:
Hæc ut ames, faciunt: hæc quæ fecêre, tuentur:
Hæc sunt jucundi caussa cibusque mali.

Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus:
Contemtaq; jacent, & sine luce, faces.

Sic pater & mater procreant: nutrix tuetur. 4. Æneid.

Non tibi diva parens generis, nec Dardanus author,
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaq; admôrunt ubera tigres.

Sic Romulus conditor Romanæ urbis: Reges deinde reliqui, Consules, Imperatores, tutores & conservatores fuêre.

Cujus vi res est] Videtur dicendum, Fit vel est. Sunt enim caussę (ut Aristoteles tradidit) aliæ τῆς οὐσίας, id est essentiæ: ut materia & forma: aliæ τῆς γενέσεως, id est generationis: ut efficiens & finis. Finis enim efficientem ad generandum movet atque impellit: Efficiens formam ex materia educit, aut in materiam introducit. Opus effectum, ex materia & forma constat. Itaque materia & forma non solúm caussę οὐσίας, verúm etiã γενέσεως sunt: Et respectu οὐσίας potiús partes, quám caussę sunt. Integra enim rei essentia ex materia & forma tãquam partibus constat. *Efficiens & materia, aut, &c.*] Author singulari studio διχοτομίαν consectatus est, pulcherrimã certé & fortassis unicam legitimam dividendi rationẽ: verúm hîc, ut & aliis nonnullis locis, vocabulorum inopia laborat. Efficientem tamen & materiam tanquã sub uno genere anonymo comprehensas caussas cõjunxit, itemque formam & finem. Mihi hæc quatuor caussarũ genera aliter digerenda videntur, nempe ad hunc modum: Caussa est aut externa, aut interna. Externa, quæ extra effectũ manet: ut efficiens & finis. Interna, quæ effectum ingreditur: ut materia & forma. *A qua res est*] Pro Est, malim dicere Fit, propter rationem paulo antè expositam.

Procreet

Procreet aut tueatur] Divisio hęc augenda videtur ad hunc modum. Efficiens, est aut generans aut corrũpens. Generans, est quæ facit ut res fit. Et est vel procreãs vel conservans. Procreans, est quæ facit ut res quæ antea non erat, postea fit. Sic Deus creavit mundum: Noë extruxit arcam. Conservans, est quæ facit ut res quæ jam est, porró fit. Sic Deus mundum conservat: sic conservavit Noachum in diluvio. Corrumpens, est quæ facit ut res quæ antea erat, postea non fit. Estque vel abolens, vel labefactans. Abolẽs, est quæ facit ut res quæ jã est, postea omnino non fit. ut Deus diluvio delevit omnia animalia terrestria quæ erant extra arcam. Labefactans, est quæ facit ut res quæ jam est, postea aliquo modo nõ fit, id est, facit ut aliquam perfectionis partem amittat. ut diabolus per peccatum labefactavit naturam hominis: per peccatũ enim homo amisit imaginẽ Dei ad quã erat cõditus. Sic morb9 labefactat vitã animalis: sic mutilatio aut trũcatio mẽbri, labefactat corp9 animalis: sic omissio fractionis panis, labefactat ritũ cœnę Domini.

Ergo ubi] Hoc exemplũ, demõstrationis est. Quærit amator, Estne mihi vitãdum otiũ, si velim evitare amorẽ? Respondet poëta, Ita. Affirmationem demonstrat argumẽto caussæ: Quia otium amoris caussa fit, tum procreãs tum conservans. Qui autem vult vitare effectum, is caussam vitet necesse est. *Nõ tibi diva*] Hoc exemplum, declarationis est. Quęstio, Quibus parentibus natus sit Æneas? Respondet Dido: Non Venere matre, nec Anchise patre: sed patre Caucaso monte, matre veró Hyrcana tigride. Porrò hoc exẽplum, sicut & sequens, utpote ejusdem generis, præcedenti præponi debuit. nam declaratio demonstratione naturâ prior est: quippe quum enũciatum prius sit syllogismo.

CAP. 4. DE EFFICIENTE SOLA *& cum aliis.*

Secundó caussa efficiens sola efficit, aut cũ

aliis: "Earumque omnium sæpe alia principalis, alia adjuvans & ministra. 9. Æneid. Nisus avocat ab Euryalo in se, factæ cædis & culpam & pœnam: quia solus author fuerit:

Me me: adsum, qui feci: in me convertite ferrum
O Rutuli: mea fraus omnis: nihil iste nec ausus
Nec potuit.—

Solitaria caussa cum plerisque & principalibus & sociis, pro Marcello varié adhibetur. Nã " bellicas laudes (ait Orator) solẽt quidam exte- " nuare verbis, easque detrahere ducibus & cõ- " municare cum multis, ne propriæ sint impera- " torũ: & certé in armis, militum virtus, locorũ " opportunitas, sociorum auxilia, classes, cõmea- " tus, multum juvãt: maximam veró partẽ quasi " suo jure fortuna sibi vendicat, & quicquid est " prosperé gestum, id pené omne ducit suum. At " veró hujus gloriæ, Cesar, quã es pauló anté ad- " eptus, socium habes neminem: totũ hoc, quan- " tumcũque est (quod certé maximum est) totũ " (inquam) est tuum. Nihil tibi ex ista laude cen- " turio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma " decerpit: quinetiam illa ipsa rerum humanarũ " domina fortuna in istius se societatem gloriæ " non offert: tibi cedit, tuam esse totam ac propriam fatetur. Instrumenta etiam in caussis adjuvantibus connumerantur: quo argumento impius Epicureus disputat, mundum nunquã " esse factum. 1. de Nat. "Quibus enim (ait) oculis " animi intueri potuit vester Plato fabricam illã

tanti

tanti operis,qua conſtrui á Deo atque ędificari "
mundum facit? Quæ molitio? quæ ferramẽta? "
qui vectes? quæ machinæ? qui miniſtri tanti o- "
peris fuerunt? "

Sola efficit, aut cum aliis] Diviſio hæc ſic proponẽda videtur. Efficiens,eſt aut ſolitaria aut ſocia. Solitaria, quæ ſola rem efficit: ut, Deus ſolus mundum condidit, Chriſtus ſolus nos redemit. Socia efficiens eſt,quæ non ſola,ſed uná cum aliis rem efficit. Socia,eſt aut principalis aut inſtrumentalis. Principalis, quæ inſtrumentalem in efficiendo regit & gubernat. ut, faber eſt cauſſa principalis quæ efficit gladiũ: Spiritus ſanctus eſt cauſſa principalis quæ efficit in homine fidem in Chriſtum. Inſtrumentalis, eſt qua principalis utitur ad rem efficiendam. Et eſt vel otioſa ſeu quieta,vel adjuvans ſeu miniſtra. Otioſa eſt, quæ in efficiendo ſeipſam non movet, ſed tantúm movetur á principali. Sic ſerra ſecat lignum, malleus cudit ferrum: & omnino omnia artificum aliaque inſtrumenta inanimata ſuum quæque opus efficiunt ita, ut ſeſe ipſa non moveant: ſed ab artificibus, aliíſve moveantur. Adjuvans ſeu miniſtra eſt, quæ ita á principali movetur, ut interim etiam ipſa ſeipſam moveat. Hujus generis ſunt inſtrumenta animata: ut animalia bruta quorum uſus eſt ad opus faciendum, itemque homines. Sic bos arat, equus trahit aut vehit: ſic Deus miniſterio hominum utitur ad fidem in electis gignendam. Hinc Paulus 1. Corinth. 3. 5. Quis i- "
gitur (inquit) Paulus eſt? quis Apollos? niſi miniſtri per "
quos credidiſtis. & ut cuique Dominus dedit. Et ibidem "
verſu 9. Etenim Dei ſumus συνεργοὶ, id eſt, cooperarii "
ſeu adminiſtri. Cæterúm inſtrumenta etiã alio modo diſtingui poſſint. Aut enim ejuſmodi ſunt, ut ſine iis efficiens principale, effectũ producere nõ poſſit: ut ſine malleo gladium efficere non poteſt faber: aut talia ſunt, ut efficiens principale ſine ipſis rem efficere poſſet, ſi vellet. Sic Deus ſine verbi & ſacramentorum miniſterio

fidem nobis donare & augere posset:sed non vult. *Earumq; omnium*] Sermo nō videtur hîc esse cōmodus.nā quum pronomē plurali numero positū, ad utrumq; distributionis propositę membrū referri videatur, falsum est si referatur ad membrū prius.nā quæ caussa sola efficit, ea nec principalis, nec instrumētalis dici potest: quū principalis caussa sic nominetur respectu caussæ instrumentalis tanquam sociæ, & contrà. Quód si cui forté videbitur pronomen *earum* referendum esse ad præcedens nomen *aliis*, ita ut caussa solitaria excludatur: ne sic quidem commodé hoc dictum fuerit. Etenim fieri potest ut nō solúm illarum *aliarum* caussarū alia principalis, alia adjuvans & ministra sit: sed etiam ea ipsa quę cum *aliis* rem efficit, in altero istorū generū contineatur. Itaque tunc violaretur τὸ καθόλȣ πρῶτον. Videtur ergo sic potiús dicendum: *Ac sociarum quidem caussarū sæpe alia principalis, alia adjuvans & ministra est.*

Quibus enim (ait) *oculis*] Procedit proposita argumētatio á negatione caussę ad negationē effecti, hoc modo: Deo nulla fuerūt instrumēta ad mundū condendū: Ergo mūdus á Deo nō est cōditus. Quæ cōclusio falsa ex falsitate propositionis omissæ nascitur, nēpe, Cuicunq; instrumenta desunt, is rem efficere non potest. Deus enim efficere sine ullis instrumentis potest, quæcunque vult. Quo loco nonnihil de argumentandi regulis quas author noster olim axiomata appellabat, dicendum videtur. Philippus regulas consequentiarū vocat: Aristoteles τόπȣς, id est, locos. Ejusmodi regulę seu axiomata á nostro authore in aliquibus tantúm argumentorum generib⁹ seu locis aliquādo fuerūt tradita: verúm ad doctrinæ atque institutionis constantiam pertinet, ut aut in singulis tradantur, aut in nullis prorsus. Neque enim major ratio est, cur in his tradenda sint, quám in illis: quum omnia æqué argumenta sint. Etsi autem axiomata quædam seu regulæ argumentandi ad consequentiā enthymematum confirmandam percommoda videātur: tamen compendiosior ac certior consequentiæ cōfirmandę

firmãdæ ratio eſt, ſi propoſitio in enthymemate omiſſa ſuppleatur, atque ita ſyllogiſmus integretur. Syllogiſmi enim verę ac infallibiles ſunt conſequentiarum regulę: Rem exemplo illuſtremus. Enthymema ſit, Quicunque in Chriſtum crediderit, ſalvus erit: quare & ego ſalvus ero. Petis rationem conſequentiæ? Dico hanc eſſe, Quia ego in Chriſtum credo. Vides, conſequentiæ rationem in ſyllogiſmo eſſe poſitam: adde enim hanc ſententiam enthymemati, & habebis ſyllogiſmũ integrum, ad hũc modum: Quicunque in Chriſtum credit, ſalvus erit: Atqui ego in Chriſtum credo: Quare ego ſalvus ero. Atq; hæc una eſt conſequentiæ confirmandæ ratio: altera eſt per axioma: ut hîc per locum generis hunc, Quęcunq; de genere affirmantur, eadem neceſſe eſt affirmari de qualibet ejus generis ſpecie. Hoc axioma ad enthymema propoſitum ſic accommodo: Fidelis, eſt genus ſingulorum fidelium. Ergo quæcunque de fideli affirmantur, nempe ſimpliciter, id eſt generaliter: ea etiam de ſingulis fidelibus affirmari neceſſe eſt: ut de me, te, &c. De fideli autem affirmatur æterna ſalus: Ergo etiam de me, te & ſingulis fidelibus. Vides, hanc poſteriorem conſequentiæ confirmandæ rationem per ambages có ducere, quó prior uno veluti paſſu ducebat.

CAP. 5. DE EFFICIENTE PER *ſe & per accidens.*

Tertió, cauſſa efficiens, per ſe efficit, aut per accidens: Per ſe, quæ ſua facultate efficit: ut quę natura vel conſilio faciunt. Ventorum naturalis efficientia eſt. 1. Æneid.

Incubuêre mari, totumq; á ſedibus imis
Uná Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus: & vaſtos tollunt ad littora fluctus.

Consilii exemplum est illa Ciceronis de se
„ confessio. Suscepto bello, Cæsar, gesto etiam
„ magna ex parte, nulla vi coactus, judicio meo,
„ ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ e-
„ rant sumta contra te.

Per accidens efficit caussa, quæ externa facultate efficit: ut in his quæ fiũt necessitate vel fortuna: necessitate, cúm efficiens vi cogitur ad effectum, qualis est Pompejanorum excu-
» satio. At mihi quidem (ait Orator) si proprium
» & verum nomen nostri mali quæratur, fatalis
» quædam calamitas incidisse videtur, & impro-
» vidas hominum mentes occupavisse: ut nemo
» mirari debeat, humana consilia, divina neces-
» sitate esse superata.

Fortuna est caussa per accidens, quando præter efficientis scopum aliquid accidit. Sic
„ casu fortuito (ait Tullius 3. de Nat. Deorum)
„ Pheræo Jasoni profuit hostis, qui gladio vomi-
„ cam ejus aperuit: quam sanare medici non poterant. In hoc genere caussarum imprudentia connumerari solet. Ovid. 2. Trist.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi est?
Inscius Actæon vidit sine veste Dianam:
Præda suis canibus nec minùs ille fuit.
Scilicet in superis etiam fortuna luenda est:
Nec veniam, læso numine, casus habet.

Hinc sumitur deprecatio: qualis est pro Li-

gario;

gario: Ignoſce pater: erravit: lapſus eſt: non pu- «
tavit: ſi unquam poſthac. Et pauló póſt. Erra- «
vi: temeré feci: pœnitet: ad clementiam tuam «
confugio: delicti veniam peto: ut ignoſcas oro. «
Fortunæ autem nomen ignoratio cauſſarum confinxit: cúm enim aliquid præter conſilium ſpemq; contigerit, fortuna vulgo dicitur: nec inſcité Juvenalis,

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus, Fortuna, deam, cæloq; locamus.

Natura vel conſilio] Horum alterum vulgo appellatur agens naturale: alterum agens voluntarium. NATURALE agens actionem ſuſpendere, id eſt in aliud tẽpus differre, nõ poteſt, ſed præſente objecto agit neceſſarió: ut ignis admotam ſtipulam non poteſt nõ accendere & comburere: corpus grave injectum aquæ, mergitur neceſſarió. VOLUNTARIUM veró agens, actionem poteſt ſuſpendere. Hujuſmodi agentia ſunt, Deus & creaturæ rationis participes, ut angeli & homines. Quanquam ſi Dei providẽtiam reſpicias, ne hæ quidem creaturæ actionem ſuſpendere poſſunt. Porró ad naturalia agentia referendæ etiam videntur animantes rationis expertes. Etſi enim illæ agunt cum appetitione, quæ voluntatis ſimilitudinem habet (unde & velle dicuntur vulgó) tamen actiones ſuas ſuſpendere non poſſunt: ſed in res objectas feruntur, aut eas fugiunt ſubitó, ſine deliberatione & conſilio. Sic bos eſuriens, proſequitur conſpectum pabulum: ſitiens, proſequitur aquam: nec poteſt non proſequi, quantum quidem in ipſo eſt. Sic formicæ colligunt cibum æſtate & recondunt: apes colligunt flores & mel faciunt ſolo naturæ inſtinctu, nec ſua natura agere aliter poſſunt.

Neceſſitate] Id eſt, vi ſeu violentia, impulſu ſcilicet vel tractu violento cogentis aut detinentis. Dicuntur

autem vi cogi, quæ agunt contra appetitionem suam. Sic fur tractus, in carcerem it: sic bos tractus, ad macellum it. Vulgo huc referunt, quum quis peccat, aut jacturam rerum suarum facit, metu gravioris mali: ut si quis metu mortis abneget Christum: si mercator metu naufragii abjiciat merces in mare: si viator metu mortis promittat latroni certam pecuniæ summam. Sed istiusmodi actiones etsi non proficiscuntur ex voluntate plena: tamen quum proficiscantur ex volũtate (quippe tũc inter duo mala id quod minus videtur, eligitur) ideo potiús quæ ita agunt, voluntate agere dicenda sunt, & ad voluntaria agentia referenda. Nam etsi homines illa & illis similia agunt inviti: (mallent enim non agere) tamen non agunt coacti: Voluntas enim cogi non potest: sed corpus hominis contra hominis voluntatem ad hũc vel illum motum cogi potest.

Divina necessitate] At hæc necessitas, non est necessitas violẽta & coactionis: ac proinde hoc exemplũ non est huic loco accommodatum. Etsi enim divinæ providentiæ respectu omnia & in rebus naturalibus & in rebus humanis fiunt necessarió, ita scilicet ut necesse sit eas ita fieri ut fiunt, nec fieri aliter possint: tamen divina providentia homines ad agendum ea quæ agunt, non cogit, sed tantúm mentes eorum in agendo flectit, regit & gubernat, ut id agant quod ipse Deus agi vult: sive id agant libenter, sive inviti.

Fortuna] Fortunam finxerunt Ethnici deam gubernatricem seu moderatricem rerum humanarum, quæ bona & mala in singulos homines distribuat. Cumque viderent, sæpe malis esse bene, & bonis malé: plurimis eam conviciis prosciderunt, appellãtes cæcam, brutam, iniquam, &c. quæ totidem in Deum verum blasphemię fuerunt. Cúm enim omnia regantur voluntate ac providentia Dei: diabolus convitia illa sub nomine Fortunæ in Deum verum expuit. Itaque á Fortunæ vocabulo, tanquam Ethnicorum proprio, Christianos homines abstinere decet: quæque illi fortuito casu evenisse dixerunt,

runt, per providentiam Dei facta esse dicere. Germanica phrasis qua dicimus, aliquid factum esse *ongefar*: si vim vocabuli spectes, nihil impietatis continet. Idem enim valet ac si dicas, Sine periclitatione. id est, ita ut non feceris periculum ejus rei efficiendæ quæ tibi evénit. Nec veró Fortunæ vocabulum caussam per accidens notat, sed effectum: idq; usurpatum μετωνυμικῶς. nam proprié acceptum significat caussam per se, videlicet ipsum Deum universi authorem ac moderatorem: cujus majestatem ista appellatione homines ἄθεοι impié profanârunt. Effectus autem seu eventus seu casus fortuitus appellatur, qui præter efficientis scopum accidit. Itaque definitio ab authore proposita, non caussam, sed effectum per accidens, definit.

Fortuito] hoc est, á fortuna dea illa rerum humanarum domina gubernato contra agentis consilium. At quum Fortuna nihil sit: nullus etiam esse potest casus fortuitus, qui quidem veré ac meritó sic appelletur. Casus quidem varios accidere in rebus humanis, certum est: & Scriptura etiam appellatione casus utitur: verúm quicquid accidit, sive bonum sive malum, id omne divino consilio divinaque providentia, ac proinde & sapientissimé & justissimé accidit.

CAP. 6. DE MATERIA.

Materia, est caussa ex qua res est. Hoc argumento ficto, apud Ovid. 2. Metam. Solis domus auro, pyropo, ebore, argento componitur.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasq; imitante pyropo:
Cujus ebur nitidum fastigia summa tegebat:

Argenti bifores radiabant limine valvæ.

„ Cæsar 1.bel.civil.Imperat militibus Cæsar,
„ ut naves faciant, cujus generis eum superiori-
„ bus annis usus Britanniæ docuerat: carinæ pri-
„ múm ac statumina ex levi materia fiebant: re-
„ liquum corpus navium viminibus cõtextum,
„ coriis integebatur.

Materia] Materiam Latini proprié appellant ligna é quibus ædificentur naves, ædes, &c.quomodo & ὕλη significat Græcé sylvam. Itaque hîc per synecdochen speciei accipitur, pro quolibet ex quo aliud fit, nõ solúm corporeo & sensili, sed etiam incorporeo atque intellectili. Sic syllogismi materia enunciationes sunt, sive necessariç, sive probabiles. *Ex qua*] Materiã vulgo triplicem faciunt, Ex qua, In qua, & Circa quam. Materia ex qua, dicitur ea quæ hîc definitur. Materia in qua, nihil aliud est quám subjectum: nam in subjecto adjuncta inhærent atque insunt: ut in mente scientia aut ignorãtia: in voluntate virtus aut vitium: in corpore animalis, sanitas aut morbus, robur aut imbecillitas, pulchritudo aut deformitas. Materia circa quam, nihil aliud est quám quod aliás vocatur objectum: Objectum enim dicitur res circa quam mens vel sensus versatur atque occupatur cognoscendo seu percipiendo: nempe circa notiones mens: circa qualitates passibiles, sensus: ut circa colores visus, circa sonos auditus, &c. Sed præstat singula hæc suis distincté appellare vocabulis: primum scilicet materiam, alterum subjectum, tertium objectum. *Regia Solis*] Utrumque exemplum quod hîc proponitur, ad usum declarationis pertinet. Cujus generis sunt & hæc in sacris literis. Genes.1. describitur materia ex qua Deus creavit mundum, videlicet abyssus aquarum, quam Ovidius chaos vocat. Genes.2. indicatur materia ex qua Deus fecit primum hominem, videlicet pulvis terræ: item materia ex qua ædificavit illi uxorem, videlicet

licet una de coſtis illius. Gen. 6. indicatur materia ex qua Noë fabricavit arcam, videlicet ligna Gopher: quæ cedri ſpecies putatur, cariem non ſentiens. Sic in hiſtoria ſacra deſcribitur materia ex qua Moſes tabernaculum, item materia ex qua Salomon templum ædificavit. Atque hæc ad uſum declarationis pertinent: jam demonſtrationis ſeu argumentationis exempla ſunt iſta: Geneſ. 18. ex argumento á materia materiam humiliandi ſui ſumit Abraham, ubi Deū ſic affatur, En obſecro induxi animum ut loquerer cum domino meo, qui pulvis ſum & cinis. quaſi dicat, Conſto ex pulvere & cinere, vili ſcilicet materia: Ergo vilis & abjectus ſum, ac proinde indignus qui loquar cum Deo. Hujus generis eſt & illud Job. 4. Nunquid homo, Dei comparatione juſtificabitur? aut factore ſuo purior erit vir? Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles: & in angelis ſuis reperit pravitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut á tinea? &c. Argumentum eſt á materia, illuſtratum comparatione minoris; corpus enim hominis, ſimilitudine domus luteæ notat: quæ nimirum vilis & contemta eſt. quaſi dicat, Homo conſtat ex luto: ergo eſt creatura vilis & abjecta: & per conſequens non poteſt conſiſtere coram majeſtate divina: ſed ab ea neceſſarió cōſumetur: idque eó magis quód etiam angeli coram majeſtate divina conſiſtere nequeunt: quorum tamen natura eſt nobilior.

Cap. 7. de forma.

Cauſſæ primum genus ejuſmodi eſt, in efficiéte & materia: ſecundum ſequitur, in forma & fine. "Forma, eſt cauſſa, "per quam res eſt id quod eſt: ideoque hinc á cæteris rebus diſtinguitur: & forma ſimul cum re ipſa ingeneratur. Anima rationalis, eſt forma hominis: quia

per eam homo est homo, & distinguitur à cæteris omnibus naturis. Geometricarum figurarum, in triangulis, quadrangulis sua forma est: Physicarum rerum, cœli, terræ, arborum, piscium sua forma est. unde prçcipua rerum ut naturâ est, sic erit explicatio, si possit inveniri: ut in artificiosis rebus faciliús occurret. Cæsar
» 7. Muri aût omnes Gallici hac feré forma sunt:
» trabes directæ perpetuæ in longitudinem, pa-
» rib⁹ intervallis distâtes inter se binos pedes, in
» solo collocâtur: hæ revinciuntur introrsus &
» multo aggere vestiuntur. ea autē, quę diximus,
» intervalla grâdibus in fronte saxis effarciūtur.
» His collocatis & coagmētatis alius insuper or-
» do adjicitur, ut idem illud intervallū servetur,
» neque inter se contingant trabes; sed paribus
» intermissę spatiis, singulę singulis saxis interje-
» ctis arcté contineantur: sic deinceps omne o-
» pus contexitur, dum justa muri altitudo exple-
» atur. hoc cúm in speciem varietatemque opus
» deforme non est, alternis trabibus ac saxis, quę
» rectis lineis suos ordines servant: tum ad utili-
» tatem & defensionem urbium, summam ha-
» bet opportunitatem: quód & ab incendio la-
» pis, & ab ariete materia defendit: quæ perpe-
» tuis trabibus pedes quadragenos plerunque
» introrsus revincta neque perrumpi, neque dis-
trahi potest. Sic forma Virgiliani portus explicatur Æneid. I.

Est in secessu longo locus: insula portum

Efficit

Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes geminiq; minantur
In cœlum scopuli, quorum sub vertice laté
Æquora tuta silent: tum sylvis scena coruscis
Desuper, horrentiq; atrũ nemus imminet umbra:
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum.
Intus aquæ dulces, vivoq; sedilia saxo,
Nympharũ domus: hic fessas non vincula naves
Ulla tenent: unco non alligat ancora morsu.

Forma] Forma proprié corporis est: & aliás figura, item species nominatur. Græcé μορφὴ, σχῆμα, εἶδος: Germanicé *die gestalt*. Quia autem formæ corporum, maximé artificialium, eis suum esse dant: ita ut ejusdem materiæ corpora formis inter se essentialiter distinguantur: factũ hinc est ut Dialectici per synecdochẽ speciei, formam appellarint omne id quod rei cuipiam suum esse dat, quoque res á cæteris rebus essentialiter distinguitur. Traditur aũt vulgó duplex forma: alia substãtialis, accidentalis alia: utraq; tamẽ essentialis, id est, essentialiter rem á rebus cognatis, adeoque cæteris rebus omnibus distinguẽs. Substantialis forma dicitur, per quã unaquęque substantia naturalis est id quod est: ut anima rationalis est forma hominis: nam per hanc homo est homo. Accidẽtalis forma nihil aliud esse intelligitur quám ipsa figura corporis: sive á natura ei insit, ut figura corporis humani, arboris: sive ab arte sit educta, ut figura gladii, domus, navis, &c. Corpus hominis & corpus quadrupedis, ratione materiæ cognata sunt: utrumq; n. ex carne, ossibus, nervis, &c. constat: sed forma seu figura multum inter se differunt: & ex figura sua unumquodq; agnoscitur. Sic gladius & olla etiamsi fortasse materia non differant: ut si utrumque ex ferro sit: forma tamen seu figura differunt plurimum: & á figura ha-

bet ferrum, quod vel gladius vel olla vel etiam aliud instrumentum est & nominatur. Cæterùm quod ad substantiales rerum naturalium formas attinet: perdifficilis homini, vel potiùs impossibilis earum est cognitio: si
„ unicam ipsius hominis formam exceperis. Communi
„ quidem ratione & definitione intelligimus, esse rerum
„ formas: at quid singularis & unaquęque forma sit, ut le-
„ onis, equi, arboris, ab hominibus ignoratur. Omnino
„ enim fatendum nobis est: substantias non sua specie co-
„ gnosci à nobis: sed per earum accidentia. id quod totidē verbis fatetur philosophus acutissimus Julius Cæsar Scaliger de Subtilitate ad Cardan. exercit. 307. sectione
„ 21. Et pulchrè admodum, Sicut vulpes, ait, elusa à ico-
„ nia, lambimus vitreum vas: pultem haud attingimus.
Per quam res est] Vulgo idem dicitur his verbis, Quæ dat esse rei.

Cap. 8. de fine.

Finis est caussa, cujus gratiâ res est. Physicis rebus finis homo proposit⁹ est: homini Deus. Omnium artium est aliquod summum bonū & finis extremus: ut Grammaticæ, bene loqui: Rhetoricæ, bene dicere: Logicæ, bene disserere. Juno 1. Æneid. connubii finem assumit, cúm Æolo Deïopejam pollicetur, solatii scilicet prolisque gratiâ:

Sunt mihi bis septē præstanti corpore Nymphæ,
Quarum (quæ forma pulcherrima) Deïopejam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo;
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchrâ faciat te prole parentem.

In defensione Ligarii, Cicero Tuberonem accu-

accusatorem urget, cúm armorum contra Cæsarem susceptorum finem premit. Et certé (ait) contra ipsum Cæsarē est congressus armatus. Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus lat⁹ ille mucro petebat? quis sensus erat armorum tuorū? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?

Finis. Finis nominatur hoc caussæ genus per synecdochen generis: intelligitur enim proprié finis actionis, id est, ea res in qua actio finitur ac desinit: seu quam adeptum agens, agere desinit, id est, agendi finem facit. Nōnulli vocant sçopum, metaphora sumta á jaculantibus. Quemadmodum enim illi scopum intuentur, & ad illum sagittas dirigunt: ita qui consilio & ratione agūt, certum quasi scopum propositum sibi habent quó in agendo respiciunt, & ad quem actiones suas referunt. Porró divisio finis esto hæc: Finis vel summus vel subordinatus est. Sūmus finis est, quē efficiēs propter ipsummet desiderat: ut finis hominis voluptarii est, frui voluptatibus: finis avari est, pōssidere magnas divitias: finis hominis pii est, glorificare Deū. Finis summus est aut universalis aut specialis. Universalis est ad quē omnes omnino totius universi res tendunt: is est gloria Dei, juxta dictum Salomonis Proverb. 16, 4. Omnia condidit Dominus propter suam gloriam: etiam impium ad diem malum. Ad hunc finem hortatur & Paulus 1. Corinth. 10. Omnia ad gloriam Dei facite. Specialis finis summus est, ad quem unāquæque res in suo genere tendit: ut ædificantis finis est domus, belli finis victoria. Hæc in suo genere summa sunt (ait Rodolphus) neque enim ædificat amplius ille, neque hic bellum gerit ubi domum fuerint atque victoriam consequuti. Sic sacræ eucharistiæ finis specialis summus est, annūciatio mortis Christi, seu publica & solemnis glorificatio Chri

sti redemtoris. Jam subordinatus finis est, quẽ efficiens non propter ipsummet, sed propter summum finem expetit. Sic discimus literas ut cõsequamur doctrinam: sed doctrinam expetimus propter aliud: alii quidẽ propter nominis sui gloriam ac laudem, alii propter divitias, alii ut sua doctrina gloriam Dei illustrent & ecclesiæ Christi prosint. Axioma finis, id est regula á fine argumentandi, traditur ab Aristotele lib. 3. Topic. cap. 1. his verbis: τὸ τέλος τῶν πρὸς τὸ τέλος αἱρετώτερον δοκεῖ εἶναι. id est, Finis videtur magis expetendus esse quám ea q̃ ad finem tendunt ac destinata sunt. Sic Marc. 2. 27. ait Christus: Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter sabbathum: ut ostendat, hominem esse meliorem sabbatho: ac proinde discipulos recté fecisse, quód majorem habuerint rationem vitæ suæ, quám sabbathi. Syllogismus: Finis est melior destinatis: Homo est finis sabbathi: nam propter hominem sabbathũ factum & homini destinatum est. Ergo homo melior est sabbatho: & per consequens, major habenda est hominis ratio q̃ sabbathi. Aliud axioma: Qui vult finem, vult etiam destinata. Jam assumo: Atqui Christus vult nos celebrare sacram cœnam in memoriã mortis suæ. Concludo: Ergo vult nos in sacra cœna celebranda frãgere panem. fractionem enim panis ipsemet destinavit ad mortem suam repræsentandam.

Cap. 9. de effectis.

Effectũ est quod é caussis existit. sive igitur gignatur; sive corrũpatur; sive modo quolibet moveatur quidlibet: hic motus & res motu facta effectum dicitur. Hujus loci sunt laudes & vituperationes; quarum pleni sunt libri sacri & profani. Æneid. 6. facta variorum populorum comparantur ad nominis Romani laudem:

Excudent

Excudent alii spirantia molliús æra:
Credo equidem ducēt vivos de marmore vultus,
Orabunt caussas meliús, cœliq; meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos Romane mèmento:
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem:
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Huc dicta scriptaque referenda sunt. Pericles & Hortensius bene dicēdi laude celebrātur: eodemque argumento Demosthenes & Cicero, etiam bene scribendi. Ad hunc locum referuntur consilia & deliberationes, etiam si omnino ad exitum perductæ non fuerint. Parmenio & Philotas morte mulctati sunt, quia conjurationis in Alexandrum essent suspecti: ut Curtius & Arrianus meminerunt. De Lentulo & Cethego aliisque Catilinæ popularibus, Romani Senatus judicio supplicium sumtum est. Sunt etiam effecta virtutum & vitiorum. Horatius hoc modo ebrietatis effecta describit:

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Solicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fœcundi calices quem non fecêre disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Effectum] Effectum hîc per synecdochē speciei intelligitur quodlibet caussatū: sic. n. proprié appellatur ab Aristotele αἰτιατόν. Porró ut caussa, sic & caussatū quadruplex est: Effectū scilicet proprié dictum, Materiatū, Formatum & Destinatum. Præcipuus tamen usus est effe-

cti proprié dicti. Exempla é sacris literis. Rom. 1. ait Paulus, invisibilia Dei, videlicet æternam ejus tum potentiã tum divinitatem cognosci atque intelligi posse ex rebus ab ipso creatis. Matth. 7. ait Christus: Cavete vobis á pseudoprophetis: qui veniunt ad vos cum vestimentis ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. A fructibus eorum agnoscetis eos. Num colligunt ex spinis uvam, aut ex tribulis ficus? Ita omnis arbor bona fert fructus bonos: putris autem arbor fert fructus malos, &c. Gal. 5. recenset Paulus præcipua aliquot effecta carnis, itemque fructus spiritus.

E caussis] Malim, Vi caussarum. nam proprié loquendo ex efficiente & fine non existit effectum, sed ex materia & forma. *Laudes & vitup.*] Quippe quæ factorum sunt: illæ quidem honestorum, hæ veró turpium. *Dicta scriptaque*] Sunt enim effecta loquentium & scribentium.

CAP. 10. DE SUBJECTO.

Argumentum modo quodam consentaneum succedit, ut subjectum & adjunctum. Subjectum, est cui aliquid adjungitur. "Anima, est subjectum scientiæ, ignorantiæ, virtutis, vitii: quia hæc præter essentiam accedunt: corpus, sanitatis, morbi: roboris, infirmitatis: pulchritudinis, deformitatis. "Homo, subjectum est divitiarum, paupertatis: honoris, infamiæ: vestitus, comitatus. "Locus, est subjectum rei locatæ. Sic Philosophi divinis entibus, licet parte & magnitudine carẽtibus, attribuunt locum. Sic Geometræ locum locique differentias in rebus Geometricis: Sic Physici multo etiam diligentiús in rebus Physicis considerant: in

mundo,

mundo, in elementis ſimplicibus, in rebus compoſitis. Sic Virgilius in Georgicis ſuum quemque propoſitis rebus locum deligẽdum admonet: ut ſegetibus, arboribus, vitibus, paſcuis:

At priùs ignotũ ferro quàm ſcindimus æquor,
Ventos & varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultusq; habitusq; locorum:
Et quid quæq; ferat regio, & quid quæq; recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt feliciùs uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina.—

"Senſilia, ſenſuum; & res virtutibus ac vitiis propoſitæ, ſubjecta vitiorum & virtutum" hoc modo nominantur. Color eſt ſubjectum viſus, ſonus ſubjectum auditus: quia hi ſenſus, in his ſenſilibus occupantur & exercentur. Virtutes & vitia declarantur in Ethicis hoc argumento: temperãtia & intemperantia voluptate, magnanimitas & ignavia periculò, liberalitas & avaritia divitiis. "Sic res numerabilis, Arithmeticæ: menſurabilis (ut ita dicam) Geometriæ ſubjicitur. "Ejuſmodi ſubjecto Cicero 2. Agr. diſputat, inter Campanos nullam contentionem eſſe, quia nullus ſit honor. "Non gloriæ cupiditate (ait) efferebantur, propterea "
quòd ubi honos publicé non eſt, ibi cupiditas "
gloriæ eſſe nõ poteſt: nõ contentione nec am- "
bitione diſcordes: nihil enim ſupererat, de quo "
certarent: nihil quod cõtrà peterent: nihil ubi "

diſſiderent. Eodem argumento à Propertio dictum eſt:

Navita de ventis, de tauris narrat arator:
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.

Anima, eſt ſubjectum] Notandum, exempla ſubjectorum quæ hîc multa commemorantur, non omnia eſſe unius ejuſdemque generis. nam certè alio modo anima ſubjectum eſt ſcientiæ, & alio modo homo ſubjectum eſt divitiarum, & rurſum alio modo color ſubjectum eſt viſus. Itaquè ut iſta diſtinguantur, notanda eſt ſubjecti diviſio. Subjectum igitur aut recipit rem adjūctam, aut eam occupat & afficit. quę docendi gratiâ appellentur ſubjectum recipiens aut occupans. Subjectum recipiens, rurſum duplex eſt: recipit enim rem adjunctam vel in ſe, vel ad ſe. Subjectum occupans eſt, in quo res adjuncta (videlicet homo aut aliud animal) occupatur atque exercetur ſentiendo, appetendo, cognoſcendo, loquendo, ſcribendo: atque hoc propriè in ſcholis vocatur Objectum. Nunc ad hanc diviſionem accommodemus exempla quæ ab authore ſunt propoſita. *Anima*] Exemplum primi generis, id eſt, ſubjecti recipientis in ſe. Hujuſmodi ſubjectum Ariſtoteles appellare ſolet δεκτικὸν, & inveſtigare τὸ πρῶτον δεκτικὸν, ſubjectum primum, id eſt, proximum & proprium: atque ſic ſcientiæ & ignorantiæ πρῶτον δεκτικὸν, eſt mens: virtutis & vitii, appetitus: commune autem illorum omnium ſubjectum, eſt anima *Homo*] Exemplum ſecundi generis, id eſt ſubjecti recipientis ad ſe. *Locus*] Rurſus exemplum primi generis: Locus enim rem locatam in ſe ſeu intra ſe & in ſuum quaſi ſinum recipit. Sic cælum ſubjectum eſt corporis Chriſti: quia illud δέχεται, id eſt, intra ſe recipit ſeu capit: juxta dictum Petri Act. 3. ὃν δεῖ τὸν οὐρανὸν δέξασθαι: Quem oportet cælo capi, id eſt, Oportet ſeu neceſſe eſt ut cęlum capiat Chriſtum, tanquam locus rem locatam.

Senſilia] Sequuntur exempla tertii generis, nimirum

rum subjecti occupantis seu objecti. Itaque quod in textu dicitur, *Subjecta hoc modo nominantur*: illud *Hoc modo*, tanquam falsum expungendum est, quia objecta non eodem modo comparata sunt ad sua adjuncta, quo subjecta recipientia de quibus dictum est superiús. *Sic res numerabilis*] Sic res disputabilis, id est quæstio, Dialecticæ subijcitur. *Ejusmodi subjecto*] Scilicet occupante, seu objecto: honos enim, ambitionis objectũ est: quippe in honore ambitio occupatur atque exercetur. *Non gloria*] Exemplum hoc demonstrationis est: superiora omnia fuerunt declarationis: quemadmodũ & quod sequitur, postremum. Procedit autem hæc argumentatio á negatione subjecti, id est objecti, ad negationem adjuncti. Nos argumẽtationis exempla plura afferamus. Consimilis superiori est illa Anacharsidis scita argumentatio: qui arguebat, in Scythia non esse tibicines, quia nullæ ibi vites essent. *Dann die pfeiffer lassen sich gern beim Wein finden.* unde proverbium, Cantores amant humores. Atque istud jocosum: quod sequitur, serium est. De transsubstantiatione panis in corpus Christi, itemque de consubstantiatione corporis Christi cum pane, nulla extat Dei promissio: Ergo nulla potest esse horum dogmatum fides. Falluntur ergo & fallunt, qui dicunt, se ista simpliciter credere. Procedit argumentatio á negatione promissionis ad negationem fidei, id est, á negatione objecti ad negationem adjuncti. Hæc igitur exempla negativa sunt: Affirmativa ab objecto ad adjunctum ratiocinatio est illa Ulyssis, qui Achillem habitu muliebri inter puellarum choros occultum, admodum acuté hoc argumento deprehendit: quum ipse mercatoris habitu accessisset ad eas, cum variis fœmineis mercibus: inter quas erant arma quædam virilia, ad quæ Achilles sese protinus convertit. Locus est Metamorph. 13.

Præscia venturi genitrix Nereïa lethi,
Dissimulat cultu natum: & deceperat omnes
(In quibus Ajacem) sumtæ fallacia vestis.

Arma ego fœmineis, animum motura virilem,
Mercibus inserui: neque adhuc projecerat heros
Virgineos habitus, cum parmam hastamq; tenenti,
Nate dea, dixi, tibi se peritura reservant
Pergama: quid dubitas ingētem evertere Trojam?
Injeciq; manum, fortemq; ad fortia misi.

Sic igitur Ulysses ratiocinatus est: Iste appetit arma virilia: ergo vir est. nam ut ille apud Virgilium ait Eclog. 2. *Trahit sua quenq; voluptas.* Et objecti argumentum ab ipso poëta hic notatur, ubi ait, *Animum motura virilem.* Objecta enim (ut vulgo in scholis dicitur) movent sensus. quod Aristoteles dicit, τὰ ὑποκείμενα
» ποιεῖ τὴν αἴσθησιν, id est, Subjecta afficiunt sensum, vel potiús efficiunt sensionem. E sacris literis afferamus
» hæc. Malach. 1. ait Deus ad populum: Si vester pater
» sum: ubi est meus honor? si dominus: ubi timor? Hujus
» generis sunt illa Christi, Ubi cadaver est, ibi congregan-
» tur aquilæ. Item, Ubi thesaurus vester est, ibi est & cor vestrum. Quorum priore innuit, fideles congregatum iri in cælum: quoniam & ipse ibi sit. posteriore autem: fideles cogitationibus ac desideriis suis versari in cælo: quoniam ibi sit eorum thesaurus, nempe vita æterna. Hujus loci est regula illa consequentiæ, quæ in scholis
» traditur his verbis, Ab est secundi adjecti ad Est tertii adjecti valet consequētia negando. Quod enim omnino nō est, de eo nihil affirmari potest. Vocant autem Est secundi adjecti, quando verbum Est, in propositione prædicati locum obtinet: ut Deus est, Angeli sunt, Purgatorium non est, Centauri non sunt. Est tertii adjecti vocant, quando verbum Est, in propositione copula est qua prædicatum cum subjecto connectitur: ut Deus est justus: purgatorium non est calidum. Sic autem vocāt, quód illic verbum Est, secundum membrum propositionis est, & subjecto adjicitur: hîc autem tertium. Regulæ allatæ exemplum est enthymema illud apud Cic.
» Tuscul. quæst. lib. 1. Mortui non sunt: ergo mortui non sunt miseri. Consequentia bona est: sed antecedens falsum.

ſum. Etſi enim mortui non ſint, ratione compoſiti, id ſcilicet quod fuerunt, ex anima & corpore conſtans: non tamen ideo prorſus non ſunt. nam ſunt adhuc ratione partium ſeparatarum. quippe anima quidem quum immortalis ſit, incorruptibilis permanet: corpus veró licet in cineres reſolvatur, non tamē in nihilum redigitur: & ſuo tempore inſtaurabitur, nempe in reſurrectione mortuorum. Quatenus igitur mortui ſunt, eatenus etiam vel miſeri vel beati ſunt. Qui enim in fide Chriſti mortui ſunt, beati ſunt: tum ratione animæ, quæ in cæleſti paradiſo apud Chriſtum agit: tum veró etiám ratione corporis, quod in terra glorioſam ac beatam reſurrectionem expectat. Contrá qui mortui ſunt in incredulitate, miſeri ſunt: tum ratione animæ, quæ in inferno apud divitem epulonem cruciatur: tum ratione corporis, quod reſurget ad ignominiam & damnatiónem æternam. Ejuſdem generis enthymema eſt hoc: Purgatorium non eſt: ergo purgatorium neque calidum neque frigidum eſt.

CAP. II. DE ADJUNCTO.

Adjunctum eſt, cui aliquid ſubjicitur: quod argumentum etſi ſubjecto eſt levius, attamen eſt copioſius & frequentius. Itaque quod de ejuſmodi ſignis ait Ovid. 2. de Remedio:

Forſitan hæc aliquis (nam ſunt quoq;) parvá vocabit.
Sed quæ non proſunt ſingula, multa juvant.

Animi corporiſque & totius hominis bona & mala, quæ dicuntur, adjuncta ſunt animi, corporis, hominis: Denique quicquid ulli ſubjecto extrinſecus accidit, adjunctum ejus eſt. Ut autem locus eſt in ſubjectis, ſic tempus eſt

in adjunctis, duratio nempe rerum, præterita, præsens, futura: omninoque qualitates subjectis præter caussas adjunctæ: sive propriæ sint, quę omni soliq; subjecto semper conveniunt, ut homini risus, equo hinnitus, cani latratus: sive communes, quæcunque non sunt eo modo propriæ. Hoc genere argumenti Fannium Chæream Cicero pro Roscio Comœdo cavillatur: "Nonne ipsum caput & supercilia illa penitus abrasa, olere malitiam & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum (si quam conjecturam affert homini tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis cõstare totus videtur? qui idcirco capite & superciliis semper est rasis, ne pilum ullum viri boni habere dicatur. Sic Martialis 2. lib. Zoilum ludit:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus:
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Sic vestitus & comitatus res adjunctæ sunt: quo circũstantiæ genere Dido venatum proficiscens, magnificé 4. Æneid. depingitur:

Oceanum interea surgens aurora reliquit.
It portis jubare exorto delecta juventus:
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro:
Massyliq; ruunt equites, & odora canum vis:
Reginam thalamo cũctantẽ, ad limina primi
Pœnorum expectant: ostroq; insignis & auro
Stat sonipes, ac fræna ferox spumãtia mandit.
Tandem progreditur magna stipãte caterva
Sidoni-

Sidoniam picto chlamydem circūdata limbo,
Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum:
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Est veró adjunctorum ad subjecta, quibus occupantur, usus item magnus. Hoc argumento Plato miseras civitates auguratur, quæ medicorum & judicum multitudine indigeant: quia multam quoq; & intemperantiam & injustitiam in ea civitate versari necesse sit.

Sed consentaneorum categoria sic est, unde quidvis alteri consentaneum, vel idem vel unū dici possit: omnesque modi unitatis, & ut ita dicam, identitatis, huc sunt tanquam ad primos & simplices fontes referendi.

Levius] Imó par adjuncti & subjecti in argumentādo vis est: interdum quidem necessaria, interdum veró probabilis: ut pauló póst in exemplis intelligetur. *Signis*] Signorum locum alii peculiarem faciunt. Sed signa partim ad hunc locum, partim ad locum effectorū pertinent, partim etiam ad locum testimoniorum. Hujus etiam loci sunt quæ ab aliis vocantur Conjuncta, itē Adjacentia, item communiter accidentia. Est autem hîc notanda adjunctorum divisio. Adjunctum igitur aut receptum est aut occupatum. Receptum, quod subjecto vel inhæret vel adhæret. Occupatum, quod in subjecto seu objecto occupatur. *Omni solique*] Proprium est quod soli convenit, etiamsi nec omni, nec semper. quare duo hæc in definitione proprii redundant: neque *κατὰ παντὸς* sunt. *Nonne ipsum caput*] Argumentatio procedit ab affirmatione adjuncti ad affirmationem subjecti: Chærea est capite & superciliis rasis: ergo nequam est. *Crine ruber*] Similis priori argumentatio: Zoilus

est crine ruber, niger ore, &c. ergo nequam est. *Sic vestitus*] Hactenus adjuncta inhærentia: sequuntur adhærentia. *Est verò adjunctorum*] Sequuntur exempla tertii generis, nempe adjunctorum occupatorum. *Plato miseras*] Procedit ratiocinatio ab affirmatione adjuncti occupati ad affirmationem subjecti occupantis, seu objecti. Addamus exempla é sacris literis. Lucæ ultimo, quum Christus post resurrectionem appareret discipulis: & illi putarent, se non corpus Christi videre, sed spectrum: ibi Christus argumentatur á propriis corporis adjunctis, ut falsam discipulorum opinionem refutet. " Quid turbati estis (inquit) & quare disceptationes " subeunt corda vestra? Videte manus meas & pedes me- " os: nam ego ipse sum. Contrectate me, & videte: nam " spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis " habere. quasi dicat: Id quod videtis, est veré visibile & palpabile: ergo est verum corpus: & per cōsequens, non est spiritus seu spectrum. Sic argumentabatur Elias adversus sacerdotes Baaliticos. I. Reg. 18. Baal non potest exaudire vos: Baal igitur non est Deus. Contrá, Deus quem ego colo, exaudit me: ergo est verus Deus. Sic Iesaias 42. vers. 21. 22. 23. & Ieremias 2, 28. item 10, 5. argumentantur adversus idola: Idola non possunt opem ferre: ergo idola non sunt dii. Ita si dubites, an sacrificium Abelis fundatum fuerit in promissione Dei: probabitur id ex promissionis adjuncto, nempe fide. Abel sacrificium Deo obtulit per fidem: Heb. 11, 4. Ergo Abelis sacrificium fundatum fuit in promissione Dei. Promissio enim, fidei objectum est: Fides, promissionis adjunctum occupatum. Hujus loci est illa regula conse- " quentiæ scholastica: Ab Est tertii adjecti ad Est secundi " adjecti valet cōsequentia affirmando, ut Tusc. I. Si mortui sunt miseri: ergo mortui sunt.

CAP. 12. DE DIVERSIS.

Argumentum primum consentaneum expositum est. Dissentaneum sequitur, quod á re dissen-

diſſentit: ſunt autem diſſentanea inter ſe æquè manifeſta, alterumq; ab altero ęqualiter argui-tur: tametſi ſua diſſenſione clariùs eluceſcant.

Diſſentanea ſunt diverſa vel oppoſita. Diverſa ſunt diſſentanea, quæ ſola ratione diſſentiunt. Quo de genere ſunt illa frequentiſſima: Non hoc, Sed illud: Quanquam, Tamen. pro Pompejo, Non victoriam, ſed inſignia victoriæ reportarunt. Ovid. 2. de Arte:

Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes.

2. Æneid. *Hic Priamus, quãquam in media jam morte tenetur:*
Non tamen abſtinuit.

Pauló ſecus in Eunucho:

Nam ſi ego digna hac contumelia
Sum maximè: at tu indignus qui faceres tamen.

Item illa aliuſmodi. Pro Lig. Scelus tu illud vocas Tubero? cur? iſto enim nomine illa adhuc cauſſa caruit. Alii enim errorem appellant, alii timorem: qui duriús, ſpem, cupiditatem, odium, pertinaciam: qui graviſſimè, temeritatem: ſcelus, præter te adhuc nemo.

Sola ratione] Non etiam re, ut oppoſita. Uſus diverſorum præcipuè videtur poſitus in declarando, ut ſcilicet inter ſe diſtinguantur quæ ab imperitis propter cognationem confunduntur: ut, Non victoriam, ſed inſignia victoriæ reportarunt: Non ſcelus fuit, ſed error: Non liberalis, ſed prodigus eſt: Non pius, ſed hypocrita eſt.

CAP. 13. DE DISPARATIS.

Oppoſita ſunt diſſentanea, quæ ratione &

re dissentiunt: itaq; eidem attribui, secundum idem, & ad idem, & eodem tempore non possunt. Sic Socrates albus & ater non potest eadem parte esse: pater & filius ejusdem: sanus & æger eodem tempore: At albus esse potest alia parte, & ater alia: pater hujus, filius illius: sanus hodie, cras æger. Itaque ex altero affirmato alterum″ negatur. Opposita sunt disparata, aut contraria: disparata sunt opposita, quorum unum multis pariter opponitur: ut viride, cineraceum, rubrum, media sunt inter album & nigrum: quæ singula extremis, & inter se disparata sunt. Sic liberalitas & avaritia inter se″ disparantur. Sic homo, arbor, lapis, & ejusmodi res infinitæ disparantur: nec eadem res potest esse homo, arbor, lapis. Virgil. 1. Æneid. hoc argumento disputat:

O quam te memorem virgo? namq; haud tibi vultus
Mortalis: nec vox hominem sonat:″ O dea certé.

Negatur] In pristinis editionibus additum erat, *Aut contrá*, id est, ex altero negato alterum affirmatur. Sed hoc meritó expunctum est: quia nō de omnibus verum est: ut non sequitur: Hoc non est rubrum, ergo viride: Non est dominus, ergo servus: Non est album, ergo nigrum: Lapis non videt, ergo cæcus est. Verum autem est de contradicētibus, & de adversis immediatis, & de privantibus quatenus eorum alterum negatur de naturali subjecto. *Disparantur*] Imó pugnant & adversantur: disparantur autem liberalitas & prodigalitas, item parsimonia & avaritia: sic fortitudo & audacia, timiditas &

pru-

prudentia. *O dea certe*] At non ſequitur: Hæc virgo non eſt homo: ergo eſt dea. poterat enim neutrum eſſe, ſed diabolus.

CAP. 14. DE RELATIS.

Contraria ſunt oppoſita, quorum unum uni tantúm opponitur: ſuntque affirmantia, aut negantia. Affirmantia, quorum utrumque affirmat, ut relata & adverſa. Relata, ſunt contraria affirmantia, quorum alterum conſtat é mutua alterius affectione: atq; inde nominata ſunt relata: ut pater qui filium habet, & filius qui patrem habet: & ob hanc mutuam relationis cauſſam, relata dicuntur ſimul eſſe naturâ; vt qui alterum perfecté nôrit, nôrit & reliquum. Pro Marc. Ex quo profectó intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus, cúm in accepto tanta ſit gloria. Martialis in Soſibianum lib. 1.

Tum ſervum ſcis te genitum, blandéq; fateris,
Cúm dicis dominum, Soſibiane, patrem.

Sic apud Quintilianum lib. 5. cap. 10. Si portorium Rhodiis locare honeſtum eſt: & Hermacreonti, conducere. Quomodo & in Oratore perfecto Tullius. Num igitur eſt periculum (ait) ne quis putet, in magna arte & glorioſa turpe eſſe docere alios id, quod ipſi fuerit honeſtum diſcere? Studium veró quoddam ſuum Cicero é relatis illis in Oratore prodidit. Iam illa (inquit) matura: uxor generi: noverca filii, filiæ pellex. Quod idem in ferreæ ætatis

describtione Ovidius apertiús affectavit 1. Metamorph.

--Non hospes ab hospite tutus,
Non socer á genero, fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miscent aconita novercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Atqui argumentum talis relationis, contrarium nihil habet, imó arguit mutuas caussas: ut sum tuus pater: tu es igitur meus filius: at cúm dico, sum tuus pater, non igitur sum tuus filius, tum contraria veré sunt.

Contraria] Sic appellantur á Cicerone, quæ vulgo dicuntur opposita, Aristoteli ἀντικείμενα. *Uni*] At in Ethicis virtus opponitur non uni tantúm vitio, sed duobus: ut liberalitas non solúm avaritiæ, sed etiam effusióni: fortitudo non solúm ignaviæ, sed etiam audaciæ, &c. Respondeo: Opponitur quidem virtus duobus vitiis, sed non utrique ut contrarium: verúm alteri ut disparatum: ut liberalitas effusioni, fortitudo audaciæ, &c. Sed rursum objici potest: vitium contrarium esse non solúm virtuti, sed etiam vitio: ut avaritiam non solúm liberalitati, sed etiam effusioni: ignaviam non solúm fortitudini, sed etiam audaciæ, &c. Responderi potest: Adversa sunt (ait ex Aristotele Cicero) quæ in eodem genere plurimum differunt. Atqui avaritia & liberalitas non differunt plurimum; quia magis ab avaritia distat prodigalitas: Itemque ignavia & fortitudo: quibus magis inter se differunt ignavia & audacia. Ergo avaritia & liberalitas, ignavia & fortitudo non sunt adversa: sed tantúm avaritia & prodigalitas, ignavia & audacia. Ego tamen non video, ad quod genus oppositorum referri illa possint, præterquam ad adversa. Quo fit, ut neque definitio-

nitionem illam Aristotelis, neque illud axioma, κατὰ παντὸς vera existimem.

Quorum alterum] nempe utrumvis, id est, & hoc ex affectione illius, & vicissim illud ex affectione hujus: ut præceptor ex affectione discipuli, & vicissim discipulus ex affectione præceptoris. *Constat*] id est, pendet. *Alterius*] id est, ad alterum. *Affectione*] id est, habitudine, σχέσει, respectu. *Filium*] filiámve: synecdoche speciei. *Patrem*] matrémve, aut utrumque simul. Rursum synecdoche speciei. *Nominata sunt relata*] Scilicet á referendo, quód alterum ad alterum referatur, id est, cum altero conferatur. *Tum servum*] Pater tuus est tuus dominus: ergo tu es patris tui servus. Antecedens confirmatum est testimonio, videlicet confessione Sosibiani. Ratio consequentiæ est illud axioma Aristotelis πάντα τὰ πρός τι πρὸς τὰ ἀντιστρέφοντα λέγεται, id est, Omnia relata dicũtur respectu correlatorum. Sed in hoc exemplo sophisma ὁμωνυμίας est in vocabulo domini: quod interdum potestatis, interdum honoris est.

CAP. 15. DE ADVERSIS.

Adversa sunt contraria affirmantia, quæ inter se velut é regione perpetuó adversantur, Æneid. 11.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Sic albor & nigror, calidum & frigidum, virtus & vitium opponuntur. Parad. 1. contra Epicureos: Illud tamen arctè tenent, accuratéque defendunt, voluptatem esse summum bonum: quæ quidem mihi vox pecudum videtur, non hominum. Tu cúm tibi sive Deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est præstantius, neq; divinius: sic te ipse abjicies ac prosternes, ut

„ nihil inter te atque inter quadrupedem inter-
„ esse putes? Pecudem & hominem adversa Cicero opposuit: voluptas, pecudis bonum est, non igitur hominis. Sic libertas & servitus, apud Tibullum 2. lib.

Sic mihi servitium video dominamq; paratam;
Tu mihi libertas illa paterna vale.

„ Pro Marc. Nunquam enim temeritas cum
„ sapientia commiscetur, nec ad consilium casus
„ admittitur.

Adversa] Sic Cicero appellat quæ vulgo nominantur contraria, ab Aristotele ἐναντία. Notanda hîc est adversorum divisio: alia enim sunt mediata, alia immediata. Mediata, quæ aliquid in medio habent: ut album & nigrum multos colores intermedios habent: calidum & frigidum in medio habent tepidum. Immediata adversa sunt quæ nihil in medio habẽt: ut virtus & vitium: sanitas & ægrotatio: fides & incredulitas. Hanc divisionem tradit Aristoteles in Categoriis capite περὶ τῶν ἀντικειμένων. *Non igitur*] Consequentia hujus enthymematis nititur hoc axiomate, quod adversorum non potest idem esse proprium adjunctum. Jam veró pecus & homo adversa sunt. Quare non potest idem esse eorum proprium adjunctum. Est autem pecudis proprium bonum voluptas. Ergo voluptas non potest esse bonũ hominis. Quanquam simplicius est dicere, consequẽtiam enthymematis propositi niti figura syllogistica: quæ extabit, si suppleatur propositio major, ad hũc modum: Quod proprium est alicujus rei, id nullius alterius rei est. Atqui voluptas est proprium bonum pecudis: Ergo voluptas non est bonum hominis.

CAP. 16. DE CONTRADICENTIBUS.

Contraria negantia sunt, quorum alterum

ait,

ait, alterum negat idem: eaque sunt contradicentia, aut privantia. Contradicentia sunt contraria negantia, quorum alterum negat ubique: ut justus non justus, animal non animal, est non est, sunt contradicentia. Sic in defensione Murænæ contradicitur sententiis Catonis & Ciceronis, illius Stoici, hujus Academici.
Dialógus est his verbis, Nihil ignoveris: imó «
aliquid, non omnia. Nihil gratiæ caussa feceris. «
imó ne resistito gratiæ, cúm officium & fides «
postulabit. Misericordia commotus ne sis? «
etiam, in dissolvenda severitate: sed tamen est «
aliqua laus humanitatis. In sententia permaneto: «
enimveró, nisi sententia alia vicerit melior. «
Martialis lib. 1.

Bella es, novimus: & puella, verum est:
Et dives, quis enim potest negare?
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas:
Nec dives, neq; bella, nec puella es.

Cicero 1. Tusc. cogit hoc argumento Atticum Epicureum fateri, mortuos miseros non esse, si omnino nulli sint, ut Epicurei credebãt.
Jam mallem (ait) Cerberum metueres, quám «
ista tam inconsiderate diceres. Atticus. Quid «
tandem? Marcus. Quem esse negas, eundem «
esse dicis: ubi est acumen tuum? cúm enim mi- «
serum esse dicis, tum eum qui non sit, esse dicis. «
Tum post longam disputationem Atticus ait,
Age, jam cõcedo non esse miseros qui mortui «
sunt: quoniam extorsisti, ut faterer, qui omni- «

„ no non essent, eos ne miseros quidem esse. Sic Terentianus Phædria, Dori Eunuchi dictum " elevat; quód affirmasset priús, quæ póst inficiaretur:

Modó ait, modó negat.

Ubique] id est, in subjecto quolibet: non autem in eo tantúm in quo affirmatum suapte natura inest: ut fit in privantibus, ut Non justus, negat justitiam non solúm de homine in quem justitia per naturam cadit, seu qui justitiæ est capax: verúm etiam de qualibet re alia: ut lapide, ligno, ferro, &c. nam de lapide tam veré negatur justitia, quám de homine injusto. Hinc aureum illud » axioma Aristotelis, Quodlibet affirmare aut negare, » verum: id est, de quolibet affirmatio aut negatio vera est. *Hoc argumento*] Imó non hoc contradicentium argumento, sed argumento subjecti: ut ostendimus suprá cap. 10. Subjecto enim simpliciter negato, adjuncta etiam quælibet negari necesse est. Hoc quidem verum est, auditorem ibi á Cicerone reprehendi, quód sibi ipse contradiceret, si non expressé, tamen implicité; id quod in scholis vocant Implicare contradictionem. Dicuntur autem implicare contradictionem duæ propositiones, ex quarum altera sequitur contradictoria alterius. ut hîc: Mortui sunt miseri, & Mortui non sunt. hîc ex priore propositione sequitur contradictoria posterioris, nēpe Mortui sunt: itemque ex posteriore sequitur contradictoria prioris, nempe, Mortui non sunt miseri. Nam si mortui sunt miseri, certé mortui sunt: & vicissim, si mortui non sunt, nec miseri sunt. Sic contradictionem implicant: corpus Christi esse in cœna corporaliter, sed nō sensibiliter. *Elevat*] Contrá Apostolus Paulus certitudinem suæ doctrinæ negatione contradicentium com„ mendat. 2. Cor. 1, 19. Dei filius, Jesus Christus qui inter „ vos per nos prædicatus est, non fuit Etiam & Non: sed fuit Etiam in ipso.

CAP.

Cap. 17. DE PRIVANTIBUS.

Privantia ſunt contraria negantia, quorum alterum negat ″ in eo tantúm ſubjecto, in quo affirmatum ſuapte natura ineſt. Atque hîc affirmatum dicitur habitus, negatum autem privatio. Sic motus & quies. Sic ebrius & ſobrius. Martial. lib. 3.

″ *Ebrius es: nec enim faceres hæc ſobrius unquam.*

Sic ″ cæcum eſſe & videre. Pro Cælio, ″ Exiſtat igitur ex hac familia aliquis, ac potiſſimúm cæcus ille. minimũ enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit. Sic pauper & dives opponuntur apud Martialem lib. 5.

″ *Semper eris pauper, ſi pauper es, Æmiliane:*
Dantur opes nullis nunc, niſi divitibus.

Talia ſunt mors & vita in Miloniana: ″ Hujus mortis ſedetis ultores, cujus vitã, ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis? Item tacere & loqui. 1. Catil. ″ Quid expectas authoritatem loquentium, quorum volũtatem tacitorum perſpicis? Pro Marc. Dolco, cúm reſp. immortalis eſſe debeat, eam in unius mortalis anima conſiſtere. Sed diſſentaneorũ categoria ſic eſt, unde quidvis ab altero differre quolibet modo poſſit.

In eo tantúm ſubjecto] ut lapis etſi facultate videndi præditus non eſt, tamen non dicitur cæcus: quia lapis non eſt ſubjectum naturale viſus, ſed animal oculatum: quod ſi viſu careat, proprié cæcum dicitur. Ita nec piſcis proprié dicitur mutus: quia natura non habet ſermonis aut vocis organa. *Ebrius es*] Enthymema eſt: Non es ſobrius: ergo es ebrius: á negatione privatio-

nis ad affirmationem habitus. *Cæcum esse*] Sic cæcitas mentis, id est ignorantia Dei, in qua homo nascitur, est privatio sapientiæ illius & cognitionis Dei cum qua homo primùm à Deo fuit conditus. *Existat igitur*] Enthymema est: Appius est cæcus: ergo nō videbit Clodiam: ab affirmatione privationis ad negationem habitus; seu potiùs actionis quæ illius habitus propria est. *Semper eris pauper*] Solis divitibus dantur opes: non igitur pauperibus. Consequutio hujus enthymematis non pendet ex natura privantium: sed ex natura proprii. nam si tollas notam proprii, Solis: consequutio non valebit. ut si dicas, Divitibus dantur opes: hinc non sequitur: Ergo pauperibus non dantur. *Hujus mortis*] Enthymema est, Si possetis vitam Clodio restituere, nolletis: non debetis igitur mortem ejus ulcisci. Consequutio similiter non pendet ex natura privantium, sed ex natura parium. Pares enim animi affectiones sunt, Velle vitam alicujus restituere, & velle mortem ejus ulcisci. *Quid expectas*] Perspicis voluntatem tacitorum: ergo non est ut expectes authoritatem loquentium. Argumentum similiter á pari est. paria enim hæc sunt, Perspicere voluntatem taciti, & audire loquentem quid velit.

CAP. 18. DE PARIBUS.

Argumenta simplicia ita fuerunt in consentaneis & dissentaneis: comparata sunt, quæ inter se comparantur, quæ tametsi ipsa comparationis naturâ æqué nota sint; attamen alterum altero alicui notius & illustrius esse potest: Sæpeq; notis breviús indicantur, aliquando partibus pleniús distinguuntur: quæ propositio, redditioque nominantur: atq; omnino comparata etiam ficta arguunt fidemque faciunt. Comparatio est in quantitate vel qualitate: Quan-

Quantitas, qua res comparatæ quantæ dicuntur. Estque parium vel imparium. Paria sunt, quorum est una quantitas: Argumentum igitur paris est, cúm par explicatur á pari: eiusque notæ sunt par, æquale, æquare, idem quod, tam quám, tanto quanto, tot quot, & non magis, non minús. Virgil. Æneid. 2.

--Par levibus ventis.

Æne. 3. *Et nunc æquali tecum pubesceret ævo.*
Æne. 6. *En hujus nate auspiciis, illa inclyta Roma*
Imperium terris, animos æquabit olympo.

Propositio deinde redditioque distinguuntur. 4. Cat. Cujus res gestæ atq; virtutes iisdem, quibus Solis cursus, regionibus ac terminis cótinentur. Æneid. 4.

Tam ficti pravíq; tenax quám nuntia veri.
Catull. *Tantó pessimus omnium poëta,*
Quantó tu optimus omnium patronus.
Ovid. 4. Trist.
Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores,
Quotq; soporiferum grana papaver habet;
Sylva feras quot alit, quot piscibus unda natatur,
Quot tenerum pennis aëra pulsat avis:
Tot premor adversis: quæ si comprendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.

9. Philip. Neque enim ille magis juris consultus, quám justitiæ fuit: Itaque quæ proficiscebantur á legibus & á jure civili, semper ad facilitatem æquitatemq; referebat: neq; con-

» stituere litium actiones malebat, quám con-
» troversias tollere. Ovid. 2. de Arte:

Non minor est virtus, quám quærere, parta tueri.

» Pro Mur. Paria cognosco esse ista in L. Mu-
» ræna, atq; ita paria, ut neq; ipse dignitate vinci
» potuerit, neque te dignitate superarit. 2. Philip.
» "Quorum facinus commune, cur non eorum
» præda communis? Ter. in Adel.

"*Quándo ego non curo tuum, ne cura meum.*

Hujus veró loci sunt cõsectaria illa é contrariis quidem orta, sed parium collatione tractata: ut Martialis illud:

"*Tum servum scis te genitum, blandéque fateris,*
Cúm dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Ovid. 1. Fast.

"*In pretio pretium nunc est, dat census honores,*
Census amicitias: pauper ubiq; jacet.

Ex adversis sunt frequentiora. Cic. pro Syl-
» la: "Neque veró quid mihi irascare, intelligere
» possum, si, quód eum defendo, quem tu accu-
» sas; cur tibi quoq; ipse non succenseo, qui accu-
» ses eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis,
» accuso meum: & amicum (inquam ego) defen-
» do meum. Sic 5. Tusc. "Quod cúm fateantur sa-
» tis magnam vim esse in vitiis ad miserá vitam;
» nonne fatendũ est, eandem vim in virtute esse
» ab beatam vitam?" Contraria enim contrariorum sunt consequentia. Sic interdum lacessiti, par pari reponimus; qualis est Ecl. 3. apud Virgilium

gilium contentio pastorum: Damœtæ, primó hoc ænigma proponentis,

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cæli spatium, non amplius, ulnas.

Et Menalcæ alterum ænigma reponentis,

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores, & Phyllida solus habeto.

" Paria veró ficta sunt illa apud Æschinē Socraticum, quibus demōstrat Socrates cum Xenophontis uxore & cum Xenophonte ipso Aspasiam locutam. Dic mihi quæso Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurū quám tu habes, utrúm illius an tuum malis? Illius, inquit. Et si vestem, & cæterum ornamentum muliebre pretii majoris habeat, quám tu habes, tuāne an illius malis? Illius veró respondit. Age veró, si virum illa meliorem habeat, quám tu habes, an illius malis? Hîc mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonē instituit: Quæso, inquit, si vicinus tuus meliorem equum habeat quám tuus est, tuúmne equū malis an illius? Illius, inquit. Quód si meliorem fundum habeat, quám tu habes, utrúm tandem illius malis? Illius, inquit, meliorem scilicet. Quód si uxorem meliorem habeat, quám tu habes, utrúm illius malis? Atque hîc Xenophon quoq; ipse tacuit.

Quantitate vel] Vulgó comparatorū vocabulum, per synecdochen generis ad quantitatem restringitur: ut comparatio sit quantitatis, sicut similitudo qualitatis.

Sed & comparandi verbum non raró ad qualitatem refertur. Comparatio in quantitate, Græcé σύγκρισις dicitur: in qualitate παρομοίωσις, aſſimilatio. παραβολὴ autem utriuſque appellatio communis eſt: quanquam feré de aſſimilatione intelligitur. *Parium vel imparium*] Par idem ſignificat quod æquale, Græcé ἴσον: impar, inæquale, ἄνισον. Hinc numerus par dicitur qui in pares, id eſt æquales, partes dividi poteſt: impar qui non poteſt in pares ſed impares ſeu inæquales. *Paria ſunt*] Sic Ariſtoteles Metaphyſ. lib. 1. cap. 15. ἴσα, ὧν τὸ ποσὸν ἕν, Paria ſeu æqualia ſunt quorũ quantitas eſt una. In Rhetoricis item lib. 2. cap. 23. τὸ μήτε μᾶλλον, μήτε ἧττον, ſc. ὑπάρχον: Quod neque magis, neque minús, ſcilicet ineſt. Id quod de paritate rationum intelligẽdum eſt: ſicut prius de paritate rerum. Sic Cicero etiam in Topicis,
„ Comparatio parium, ait, nec elationem habet, neque
„ ſummiſſionem: eſt enim æqualis. Ariſtoteles in Topicis paria, id eſt ea quorum par eſt ratio, vocat τὰ ὁμοίως ὑπάρχοντα, quæ ſimiliter (id eſt pariter ſeu pari ratione) inſunt. Ex quibus locis inter ſe collatis intelligitur, duplicem conſiderari paritatem ſeu æqualitatem: alteram ipſarum rerum: quæ conſideratio ad primum inventionis uſum pertinet, videlicet ad ipſarum rerum ſigillatim conſideratarum declarationem atque illuſtrationem: alteram veró rationum, quum ſcilicet vel unum aliquid duobus, vel duo uni, vel duo duobus pariter ſeu ſimiliter, id eſt pari ratione ineſſe dicuntur. Dicitur autem ratio rationi par ſeu æqualis, id eſt æqué veriſimilis ſeu probabilis. *Cùm par*] Potiús argumentum á pari eſt, argumentum comparatum á ſententia æqué probabili: hoc eſt, quum in antecedente & conſequente enthymematis par eſt ratio veritatis, ſeu par probabilitas: & antecedens verum eſt. *Quorum facinus*] Hactenus exempla declarationis: ſequuntur demonſtrationis ſeu argumentationis. Quo loco notandæ ſunt tres á pari argumentandi regulæ, ſeu axiomata, ſeu (ut Ariſtoteles vocat) loci: qui traduntur lib. 2. Top. cap. 4. Primum

axioma est hoc, εἰ ἔν τι δυσὶν ὁμοίως ὑπάρχῃ ἢ δοκεῖ ὑπάρχειν· εἰ τῷ ἑτέρῳ μὴ ὑπάρχῃ, οὐδὲ τῷ ἑτέρῳ· εἰ δὲ θατέρῳ ὑπάρχῃ, καὶ τῷ λοιπῷ. Si quid unum duobus similiter insit aut inesse videatur: si alteri non insit, nec alteri inerit: si veró alteri insit, etiam reliquo inerit. Exemplum affirmationis: Israëlitæ á Deo puniti sunt propter idololatriam aliaque peccata: Ergo etiam Corinthii á Deo punientur, si paria committant. 1. Cor. 10. Exemplum negationis: Fœdus Dei cum die & nocte, non potest fieri irritum: Ergo nec fœdus ejus cum Davide, irritum fieri potest. Jerem. 33. Sic dicit Dominus: Si irritum potestis facere fœdus meum quod inivi cum die, & fœdus meũ cum nocte: etiam irritum fieri poterit fœdus meũ cum servo meo Davide, quó minús habeat filium regnãtem in solio suo. SECUNDUM axioma: εἴτε δύο τῷ αὐτῷ ὁμοίως (scilicet ὑπάρχῃ) εἰ τὸ ἕτερον μὴ ὑπάρχῃ, οὐδὲ τὸ λοιπόν· εἰ δὲ θάτερον, καὶ τὸ λοιπόν. Sive duo eidem similiter insint, si alterum non insit, nec reliquum inerit: si veró alterum insit, etiam reliquum inerit. Exemplum affirmationis: Iste delectatur mentiendo: ergo etiam furando. Exemplum negationis: Hominis proprium non est videre: ergo etiam hominis proprium non est audire. TERTIUM axioma: τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ εἰ δύο δυσὶν ὁμοίως ὑπάρχῃ. εἰ γὰρ τὸ ἕτερον τῷ ἑτέρῳ μὴ ὑπάρχῃ, οὐδὲ τὸ λοιπὸν τῷ λοιπῷ· εἰ δὲ ὑπάρχῃ τὸ ἕτερον τῷ ἑτέρῳ, καὶ τὸ λοιπὸν τῷ λοιπῷ. Ad eundem modum etiam, si duo duobus similiter insint: Si enim alterum alteri non insit, nec reliquũ reliquo inerit: si veró insit alterum alteri, etiam reliquum reliquo inerit. Exemplum affirmationis: Davidi esurienti licuit vesci panibus propositionis: Ergo etiam discipulis Christi esurientibus licuit vellere spicas die sabbathi: Matthæi 12. Exemplum negationis: Terent. Adelph. Quando ego non curo tuum, ne cura meum. Quibus verbis Demea sic argumentatur contra Mitionem: Ego non curo filium tuum, nempe Æschinum: Ergo nec tu cures filium meum, nempe Ctesiphontem. Ratio á pari: quia utraque cura, rei alienæ est.

Quorum facinus commune] Sic loquentem introducit Cicero Antonium contra Cæsarem. Argumentationis sententia hæc est: Cæsar sectionem bonorum Pompejanorum quam possidet, possidet jure: Ergo etiam Antonius sectionem bonorũ Pompejanorum quam possidet, jure possidet. Ratio á pari: quia ex pari caussa cum Cæsare Antonius sectionem suam possidet, videlicet jure victoriæ: Hoc exemplum pertinet ad axioma tertiũ. *Quando ego non*] Hoc exemplum similiter pertinet ad axioma tertium: ut pauló anté explicavimus. *Tum servum*] Hîc argumentum á relatis est. vide suprá cap. 14. *In pretio pretium*] Nulla hîc videtur esse argumentatio: sed tantúm declaratio & illustratio per oppositum: opponuntur autem hîc privantia, Dives & pauper. Neq; sequitur: Dives honoratur: ergo pauper contemnitur. potest enim fieri ut uterque honoretur, aut uterq; contemnatur. *Neque veró*] Sic argumentatur his verbis Cicero: Ego non irascor tibi quód accusas meum amicum: Ergo nec tu irasci debes mihi quód defendo tuum inimicum. Ratio á pari: quia utrinque par est irascendi caussa: Tam enim molestum esse solet, accusari nostrũ amicum, quám defendi inimicum. *Quod cúm fateantur*] Talia sunt & illa ejusdem authoris. Lib. 5. de Finib.
„ Et quoniam hæc ducuntur de corpore: quid est cur non
„ recté pulchritudo etiam ipsa propter se expetenda du-
„ catur? Nam si pravitatem imminutionemque corpo-
„ ris, propter se fugiendam putamus: cur non etiam (ac
„ fortasse magis) propter se formę dignitatem sequimur?
„ Et si turpitudinem fugiamus in statu & motu corporis:
„ quid est cur pulchritudinem non sequamur? Hactenus
Cicero: summa hæc est, Si deformitas est propter se fugienda: ergo pulchritudo propter se est expetenda. Ta-
„ le est & illud in Topicis: Si stultitiam fugimus, sapien-
„ tiam sequamur: & bonitatem, si malitiam. Cæterúm
quod ad exemplum in textu propositum attinet: notandum est, Ciceronem quidem recté argumentari: quum termini sint reciproci: verúm taciré assumere falsum,

nempe

nempe virtutem quæ vitio contrarié opponitur & adversatur, in hominem cadere in hac vita. id quod falsum est: quum vix umbra virtutis in hominibus locū habeat. Idem judicandum est de ista argumentatione Pontificiorū: Mala opera damnant: Ergo bona opera servant. Recté quidem argumentantur: at falsum assumunt: nēpe nostra bona opera talia esse quæ malis nostris operibus veré adversentur. id quod falsum est: quū bona nostra opera sint imperfecta & cum malis operib. conjuncta: mala aūt nostra opera perfecta sunt, omnisq; bonitatis (quatenus quidem nostra sunt, id est, á nostra volūtate non renata proficiscuntur) expertia. *Contraria enim*] Contraria Cicero vocat (ut suprá c.14. admonuimus) quæ vulgo dicuntur opposita, ab Aristotele *ἀντικείμενα*. Illustremus igitur hoc axioma exemplis in singulis quatuor generibus oppositorū. In relatis: Pater est qui genuit: Ergo filius est qui genitus est. In adversis: Albedo visum disjicit: Ergo nigredo visum colligit. In privantibus: Lux visui grata est: ergo tenebræ ingratæ. In contradicentibus: Ei qui facit officiū, debetur beneficiū: Ergo ei qui nō facit officium, non debetur beneficium. Sic Joan. 8, 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit: Ergo qui non est ex Deo, is non audit verba Dei. Est argumētatio Christi contra Pharisæos, qua indicat caussam incredulitatis eorū. Similis locus extat Joan. 6, 36 & 37. Sed dixi « vobis: & vidistis me, nec creditis. Quicquid dat mihi pa- « ter, ad me veniet. Hinc sequitur á contrario: Ergo quicquid mihi pater nō dat, non veniet ad me. Itaq; iis verbis Christ⁹ caussam innuit, cur Pharisæi ad ipsum nō veniāt, hoc est, in ipsum non credant: quia scilicet nō sint ei dati á patre. Veruntamen axioma illud in solis reciprocis firmū est, in non reciprocis variū & incōstans. ut in relatis non sequitur: Pater est homo: ergo filius est nō homo, id est, aliquid aliud quám homo. In adversis: Albedo est color: ergo nigredo est nō color. In privantibus: Lux visum afficit: ergo tenebræ visum nō afficiūnt. In cōtradicētib. Homo est animal: Ergo nō homo est non animal: id est,

Quicquid non est homo, non est animal. Ejusmodi ἀνακολουθίας, id est inconsequentiæ exemplum extat apud Basilium lib. 2. contra Eunomium, his verbis: οὐ γὰρ ἐπειδὴ τῷ ἐγρηγορέναι τὸ ζῆν ἕπεται, τῷ καθεύδειν ἀκολουθεῖ πάντως τὸ τεθνάναι: Non enim quia si quis vigilet, eum sequitur vivere: idcirco etiam si quis dormiat, eum continuó sequitur esse mortuum. Affert etiam exemplum Aristoteles lib. 2. Topic. cap. 3. Ad εὐεξίαν, inquit, sequitur sanitas: veruntamen ad καχεξίαν non sequitur morbus. ubi εὐεξίαν, quasi dicas bonum habitum, intelligit gladiatoriam corporis firmitatem, seu robur athleticum: καχεξίαν veró, quasi dicas malum habitum, intelligit virium corporis seu roboris infirmitatem atque imbecillitatem. Dicit autem hîc valere consequutionem ἀνάπαλιν, id est, vicissim seu retró: quæ consequutio simile quid habet cum conversione per contrapositionem: ut, εὐεξία est sanitas: ergo morbus est καχεξία. Verúm ne hæc quidē consequutio in omnibus valere videtur. neq; enim sequitur: Qui vigilat, vivit: Ergo qui mortuus est, dormit. nam quód sacra scriptura mortuos dormire dicit: id non proprié, sed per similitudinem intelligit. Vidimus exempla ἀνακολουθίας in non reciprocis: videamus nunc exempla ἀκολουθήσεως in eisdem. Aristoteles igitur loco citato affert hæc: Fortitudo est virtus: ergo timiditas est vitium. Fortitudo est expetenda: Ergo timiditas fugienda. Visus est sensus: ergo cæcitas est ἀναισθησία, quasi dicas insensibilitas, id est, sensus vacuitas seu carentia. Si triplum est multiplum: ergo subtriplum est submultiplum. Si visus est sensus: ergo visibile est sensibile. Ex commemoratis exemplis perspicitur; in non reciprocis τὴν ἐπὶ τὰ ἀντὰ ἀκολούθησιν, ut vocat Aristoteles, id est, axioma illud Ciceronis, non esse perpetuū: imó ne quidem τὴν ἀνάπαλιν ἀκολούθησιν in omnibus locum habere. Itaque quum termini in enthymematis antecedente reciproci non sunt: valde lubrica & fallax est á contrario argumentandi ratio, neq; axioma illud Ciceronis in illis perpetuó valet. *Paria veró ficta*]

Cicero

Cicero & post Ciceronem Quintilianus, hoc exemplũ ad similitudinem retulerunt. Et ita Aristoteles quoque paria *τὰ ὁμοίως ὑπάρχοντα*, id est, quæ similiter insunt, vocat. Quomodo exponendum videtur & illud Virgilij, 2. Æneid. *Par levibus ventis*, id est, similis. Hanc parium & similium confusionem parit eorum cognatio: utraque enim comparata sunt.

CAP. 19. DE MAJORIBUS.

Imparia sunt, quorum quantitas nõ est una.

Impar est majus aut minus. Majus est, cujus quantitas excedit. Propriæ notæ sunt hujus rationis: ″Non solúm, sed etiam, Malo hoc, quám illud, Plusquã, item per cõparationem Grammaticam. Cicero pro Muræna:

″*Tollitur é medio*--
non solúm ista verbosa simulatio prudentiæ,
sed etiam illa domina rerum
--*sapientia: vi geritur res*:
Spernitur orator---
non solúm odiosus in dicendo, aut loquax, verúm etiam --*bonus, horridus miles amatur*.

Hinc sumitur logica quædã gradatio, climaci rhetorico interdum conjuncta. Pro Milone: ″Neque veró se populo solúm, sed etiam Senatúi tradidit: neq; Senatui modó, sed etiam publicis præsidiis & armis: neque his tantúm, verum etiam ejus potestati, cui Senatus totam Rempub. omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiserat. Juvenalis Satyr. 8. adversus gloriosum nobilem:

"Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas,
Quám te Thersitæ similem producat Achilles.

» Pro Marc."Plus admirationis habitura quám
» gloriæ. Æneid. 1.

O socii (neq; enim ignari sumus anté-malorum)
O passi" graviora: dabit Deus his quoq; finem.

„ Cic. pro Mur."Noli tam esse injustus, ut cúm
„ tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros ri-
„ vulos etiam amicis putes clausos esse oportere.
Hinc illa gradatio est sine climace Rhetorico apud Terent.

Thr. "*Magnas veró agere gratias Thais mihi?* Gn. *Ingentes.* Thr. *Ain' tu? Læta est?* Gn. *Non tam ipso quidem Dono, quám abs te datum esse: id veró serió Triumphat.*

Ficta veró majora etiam plurimúm valent. Terent. Heaut. *"Sat apes si siet*
Amator, nunquam sufferre ejus sumtus queat,
Nedum tu possis. 5. Æneid.
"Magnanime Ænea, non si mihi Jupiter author
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cælo:
Mutati transversa fremunt, & vespere ab atro
Consurgunt venti, atq; in nubem cogitur aër:
Nec nos obniti contrá, nec tendere tantum
Sufficimus.

QUUM noster author doctrinam imparium admodum confusé, maximé in superioribus editionibus, tradiderit: idque inde ei acciderit, quód inter declarationem & argumentationem non distingueret; neque quid argumentum á majori aut minori sit, attenderet:

nos ante omnia veram definitionem proponemus, deinde tres argumentandi regulas seu axiomata ex Aristotele subjiciemus. Argumentum igitur á majori, est argumentum comparatum á sententia probabiliore, hoc est, quum enthymematis antecedens magis probabile est quám consequens. Axiomata autem Aristotelica extant 2. Top. 4. quorum Primum est hoc, δυοῖν περὶ ἑνὸς λεγομένοιν, εἰ τὸ μᾶλλον ὑπάρχειν δοκοῦν, μὴ ὑπάρχει· οὐδὲ τὸ ἧττον. id est, Quum duo de uno dicuntur, si id quod magis inesse videtur, non inest: neq; inerit id quod minús inesse videtur. ut Joan. 3, 12. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cælestia, credetis? quasi dicat, Nullo modo, hoc est, multó minús. Secundum axioma est: ἑνὸς περὶ δυοῖν λεγομένου, εἰ ᾧ μᾶλλον εἰκὸς ὑπάρχειν, μὴ ὑπάρχει· οὐδ' ᾧ ἧττον. id est, Quum unum de duobus dicitur: si ei cui magis verisimile est inesse, nó inest: neque inerit ei cui minus inesse verisimile est. ut Rom. 11, 21. Si Deus naturalibus ramis non pepercit: vide, ne tibi quoq; non parcat. 1. Pet. 4, 18. Si justus vix servatur: impius & peccator ubi comparebit? quasi dicat, Nullibi: hoc est, multó minús servabitur. Tertium axioma est: δυοῖν περὶ δυοῖν λεγομένοιν, εἰ τὸ θατέρῳ μᾶλλον ὑπάρχειν δοκοῦν, μὴ ὑπάρχει· οὐδὲ τὸ λοιπὸν τῷ λοιπῷ. id est, Quum duo de duobus dicuntur: si id quod alteri magis inesse videtur, non inest: neque inerit reliquum reliquo. ut Matth. 12. Christus á Pharisæis accusatus violati sabbathi: eó quód permisisset discipulis suis, vellere spicas: inter alia sic se defendit: Sacerdotes non violant sabbathum, mactando pecudes: Ergo multó minús ego violavi sabbathum, permittendo discipulis meis ut vellerent spicas ad pellendam famem. Ratio á majori: Quia magis videtur, sacerdotes violare sabbathum, quám Christum: qui est dominus sabbathi. Sic Luc. 13. versiculo 15 & 16. Christus á præfecto synagogæ insimulatus violati sabbathi, eó quód sanasset mulierem incurvam: sic se defendit: Vos non violatis sabbathum, solvendo bovem aut asinam, & ducendo aquatum:

Ergo multó minús ego violavi ſabbathum, ſolvendo hanc filiam Abrahæ á vinculo quo eam vinxerat Satanas, idque octodecim annos. *Non ſolúm*] *Non ſolúm*, eſt nota minoris: *Sed etiam*, majoris. Sic *Cúm*, eſt nota minoris: *Tum*, majoris. *Malo hoc*, eſt nota majoris: *Quám illud*, minoris. *Tollitur é medio*] Exemplũ hoc non eſt hujus loci: continet enim illuſtrationem á minori. Quæſtio eſt, Quid tollitur é medio? Reſponſio, Sapientia. Illuſtratio á minori, Non ſolúm ſimulatio prudentiæ. Altera quæſtio, Quis ſpernitur? Reſponſio: Orator bonus. Illuſtratio á minori, Nõ ſolúm odioſus in dicendo aut loquax. Quod ſi dicas eſſe amplificationem, quaſi dicat Cicero: Quid mirum, ſi verboſa prudentiæ ſimulatio tollitur: quum domina rerum ſapientia tollatur? tum argumẽtatio eſt itidem á minori: perinde enim eſt ac ſi dicas, Domina rerum ſapientia tollitur: Ergo multo magis tollitur verboſa prudentiæ ſimulatio: At ſapientia, inquiat aliquis, nonne major & præſtãtior eſt quám prudentiæ ſimulatio? Sané. ſed non idcirco argumentatio hæc á majori eſt. Argumentatio enim á majori dicitur, quũ antecedens enthymematis magis probabile eſt quám conſequens: á minori, quũ minús: ſicut á pari, quum æqué. Quare non ſpectanda eſt in hujuſmodi argumentationibus, quantitas duarum rerum inter ſe comparatarum: ſed quantitas duarum ſententiarum inter ſe comparatarum ratione probabilitatis. Itaque Ariſtotelis appellationes hîc commodiores ſunt: qui appellat, ἐκ τοῦ μᾶλλον, ſcilicet ὑπάρχοντος, id eſt ab eo quod magis ineſt: non autem, ἐκ τοῦ μείζονος, id eſt á majore. Item, ἐκ τοῦ ἧττον, ex eo quod minús ineſt: non autẽ, ἐκ τοῦ ἐλάττονος, á minore. Obſervandũ autem, argumẽtationem á pari, procedere & affirmando & negando: at argumentationem á majore, negando tantúm: á minore autẽ, tantúm affirmando. Nam illic cõcluſio ſemper eſt, Ergo multó minús: hîc autem, Ergo multó magis: quarum illa, negationis: hæc veró, affirmationis nota eſt. *Neque veró*] His verbis Cicero amplificat argumentum

mentum quo demonſtrarat, Milonem ſuæ cauſſæ confidere. Argumentum erat á facto, Quia ſe tradiderit populo. Amplificatio eſt á collatione factorum majorum, id eſt, magis demonſtrantium propoſitum: Quia ſe tradiderit etiam ſenatui, imó publicis armis, imó ipſi Cęſari. *Malo pater*] Hactenus duo exēpla primæ notæ, *Non ſolúm, ſed etiam:* ſequitur exemplum notæ ſecundæ, *Malo hoc quám illud.* Sententia eſt, Malo te eſſe nobilem, & patrem habere ignobilem: quám te eſſe ignobilem, & patrē habere nobilem. *Plus admir.*] Exemplū tertiæ notæ, *Plus, quám. Graviora*] Exemplum comparationis Grammaticæ, id eſt nominis cōparativi gradus. Quanquam exemplum hoc, quatenus argumentationem continet, non eſt hujus loci: continet enim argumentationem á minore: quia minús probabile eſt, aliquem pati poſſe graviora, quám leviora. at Æneas ſic argumentatur, Paſſi eſtis graviora: ergo poteritis etiam pati hæc leviora. Exemplum pertinet ad ſecundū axioma loci ſequentis. Duo quæ ineſſe dicuntur, Pati graviora & pati leviora: unum cui illa ineſſe dicuntur, ſocii Æneæ. *Noli tam*] Hoc quoque exemplum argumentationem á minore continet: Si fontes debent patére inimicis: ergo multó magis rivuli amicis. Illud enim minús probabile eſt, quám hoc. Exemplum pertinet ad tertium axioma loci conſequentis. Duo quæ dicuntur ineſſe, Patére inimicis & patere amicis: duo quibus illa dicuntur ineſſe, Fontes & rivuli. *Magnas veró*] Si quis accuraté conſideret, etiam hîc argumentatio á minori latet: licet prima fronte ſecus videatur. Quippe certum eſt, Gnathonem aſſentatorem ita hîc approbare verba Thraſonis, ut ea amplificet aſſentandi gratia. quód ſi amplificat, argumentatur igitur. nam omnis amplificatio, eſt tacita argumentatio vel á maiore, vel á minore. Sed quomodo hîc argumentatur Gnatho? nempe ſic, Thais agit tibi gratias ingentes: Ergo non eſt ut dubites quin tibi agat (quod tute ais) gratias magnas. at inquam, hæc argumentatio á minori eſt. Minús enim

probabile eſt, aliquẽ agere gratias ingentes,quám magnas.ſic de cęteris,minús probabile eſt,aliquem triumphare quám lætari ob acceptum beneficium: item meretricem lætari authore doni quám ipſo dono. *Satrapes*] Hoc exemplum eſt hujus loci: ſed vis argumentationis non conſiſtit in eo quód ſatrapes major, hoc eſt, præſtantior ac ditior ſit quám is ad quem hæc dicuntur: ſed quód magis probabile ſit,ſatrapem magnos ſumtus ſufferre poſſe, quám aliquem mediocrem aut tenuem. Enthymema hîc ęſt: Satrapes non poſſet ſufferre tantos ſumtus quantos amica tua poſtulat: Ergo multó minús tu poteris. *Magnanime*] Hoc quoq; exemplum hujus loci eſt: ſed rurſum vis argumentationis non conſiſtit in eo quód Jupiter major ſit, hoc eſt præſtantior ac potentior veraciorq; quám Æneas: ſed quód probabilius ſit,aliquem crediturum Deo quám homini. Enthymema hîc eſt: Si promitteret mihi Jupiter, me hoc cælo in Italiam navigaturum: non crederem ei. Ergo multó minús tibi (Ænea) iſtud promittenti credo.

CAP. 20. DE MINORIBUS.

Minus eſt,cujus quantitas exceditur: Minus autem ſæpe indicatur propriis notis,ut non ſolúm,ſed ne: potius hoc quám illud: cúm,tum. Item per Grammaticam comparationem: denique per negationem parium. Cicer.2. Catil.
» Nemo non modó Romę,ſed ne ullo in angu-
» lo totius Italiæ oppreſſus ære alieno fuit,quem
» non ad hoc incredibile ſceleris fœdus aſcive-
» rit.1.Catil. ut exul potiús tentare,quám conſul
» vexare Remp.poſſis.2.Agr. Quæ cúm omni-
» bus eſt difficilis & mala ratio, tum veró mihi
» præter cæteros.

Ovid.

Ovid.3.de Trist.

Sævior es tristi Busiride, sævior illo
Qui falsum lento torruit igne bovem.

Ovid.1.Remed.

Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec sitiens ora levabis aqua:
Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.

Atq; hujus ejusdem speciei sunt hæ formulæ, quæ fiunt negatione parium. Philippica 9. "Omnes ex omni ætate qui in hac civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cũ Servio Sulpitio non sunt conferendi. Cat.2. "Quanquam illi qui Catilinam Massiliam ire dictitant, non tam hæc queruntur quàm verentur. Pro Muræna: "Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum: quantas perturbationes & quantos æstus habet ratio comitiorum? Aliquando nota nulla est. Pro Marcel. "Tantũ abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondũ jeceris. Pro Archia: "Saxa & solitudines voci respondent: bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt; nos instituti rebus optimis, non poëtarum voce moveamur? 7. Ver. Gradatio illa est à minoribus. "Facinus est vincire civem Romanum: scelus, verberare: propé patricidium, necare: quid

dicam, in crucem tollere? Finguntur etiam minora. Virgil. Ecl. 1.

"*Anté leves ergo paſcentur in æthere cervi,*
Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Antépererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.

» 2. Philip. "O rem non modó viſu fœdam, ſed
» etiam auditu: Si inter cœnam in tuis immani-
» bus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis nõ tur-
» pe duceret? In cœtu veró populi Romani ne-
» gotium publicum gerens, magiſter equitum,
» cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſcu-
» lentis, vinum redolentibus, gremium ſuum &
» totum tribunal implevit.

Ut hîc quoque confuſionem cujus ſuperiore capite mentionem fecimus, evitare faciliús poſſimus: definiamus primúm argumẽtum á minori, deinde argumentandi axiomata ſubjiciamus. Argumentum igitur á minori, eſt argumentum comparatum á ſententia minús probabili: hoc eſt, quum enthymematis antecedẽs minús probabile eſt quám conſequens. Axiomata autem argumẽtandi á minori licet ab Ariſtotele (quod ſciam) tradita non ſint: tamen ad imitationem eorum quæ ille tradidit de majori, facilé etiam de minori ex natura cõtrariorum tradi poſſunt. PRIMUM igitur eſto hoc: Si quid ineſt ei cui minús videtur ineſſe: inerit etiam ei cui
» magis videtur ineſſe. ut Matth. 6, 23. Si lumen quod eſt
» in te, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ, quantæ? Matth. 10, 25.
» Si ipſum patremfamiliâs, Beelzebul vocarunt: quanto
» magis domeſticos ejus? Joan. 15, 20. Si me perſequuti
» ſunt: & vos perſequentur. Luc. 23, 31. Si in virente ligno

iſta

ista faciunt: in arido quid fiet? 1.Pet.4,17. Si primúm incipit á nobis judicium: quis erit finis eorum qui non parent Dei Evangelio? quasi dicat, miserrimus. hoc est, Multó magis judicabuntur illi seu affligentur. 2. Cor. 3. Si mortis ministerium fuit gloriosum: quî non potiús ministeriũ spiritus erit gloriosum? SECUNDUM axioma: Si-cui id inest quod inesse minús videtur: etiam illud ei inerit quod inesse magis videtur. Hujus axiomatis multa exempla extant Matth. 6. ubi Christus dehortatur á diffidenti sollicitudine victus & amictus: cujus loci hæc est analysis. I. Pater cælestis dedit vobis animã: ergo multo magis dabit alimentum. Ratio á minore: quia minús probabile est, aliquem dare velle rem præstantiorem, quám viliorem: est autem anima plus quám alimentum. II. Pater vester cælestis alit volucres cæli: ergo multo magis alet vos. Ratio á minori duplex: prior, Quia volucres cæli non serunt neque metunt, neque cogunt in horrea, sicut vos facitis: minús autem probabile est, altum iri eos qui non serunt, &c. quám qui ista faciunt. Posterior ratio: Quia vos multó præstatis eis: minús autem probabile est, sustentatum iri creaturam viliorem, quám præstantiorem. III. Pater vester cælestis dedit vobis corpus: ergo multo magis dabit vestitum. Ratio á minore: Quia minús probabile est, aliquem dare velle rem præstãtiorem quám viliorem: corpus autem plus est quám vestitus. IIII. Pater vester cælestis vestit lilia agrorum: Ergo multo magis vestiet vos. Ratio á minore duplex: prior, Quia lilia non laborant neque nent, sicuti vos: minús autem probabile est, amictum iri eum qui non laborat neque net, quám qui ea facit. Ratio posterior: Quia lilia sunt herba agri: quæ hodie extat; & cras in clibanum mittitur: vos autẽ præstantiores estis. Minus autem probabile est, creaturam viliorem á Deo exornari, quám præstantiorem. Rom. 8, 32. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eũ: quî non etiam cum eo omnia gratificabitur? Deus donavit nobis filium: ergo multo magis do-

nabit alias res utiles. 1.Cor. 6. sic argumentatur Paulus: Sancti (sic vocat Christianos) digni sunt qui mūdum & angelos judicēt: Ergo multo magis digni sunt qui judicent τὰ βιωτικά, id est, ea quæ ad victum & necessitatē hujus vitæ pertinent. TERTIUM axioma: Si duo duobus inesse videantur, alterum alteri: & id inest quod alteri inesse minús videtur: etiam reliquum inerit reliquo. ut Rom. 5, 8. Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quód quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit. Justificati igitur ejus sanguine, servabimur nūc multó magis per eum ab ira. Nam si quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus: multó magis, recōciliati, servabimur per vitā ipsius. Hactenus Apostolus. Continentur autē hoc loco duæ argumentationes á minore. Prioris quæstio est, Utrum nos posteaquā justificati sumus, servandi simus ab ira? Respondet Apostolus affirmādo: & affirmationem probat argumento á minore: Quia scilicet quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortu⁹ est: id quod minús videbatur facturus. Nā certé minús rationi cōsentaneum videtur, aliquem velle mori pro homine impio, quám servare justū. Posterioris argumentationis quæstio est, Utrum nos, posteaquam Deo reconciliati sumus, servandi simus per vitam Christi? Apostolus respōdet affirmando: & affirmationē probat á minore: Quia scilicet quum adhuc essemus inimici, reconciliati fuimus Deo per mortem Christi. id quod minús videbatur eventurum. Nā certé minús probabile est, aliquem per mortem reconciliare velle cum altero inimicū: quám per vitā servare velle reconciliatū. Termini duo qui reliquis duobus insunt, in priore argumentatione sunt hi: I. Christum mortuum esse pro nobis. II. Christum servaturum nos ab ira. Termini duo quibus illi insunt: III. Nos quum adhuc essemus peccatores. IIII. Nos quū jam sumus justificati. Jam termin⁹ primus inesse dicitur tertio: cui tamen minús videtur inesse quám secundus quarto. Ergo multo magis secundus

dus inesse dicendus est quarto. In posteriori argumētatione termini qui insunt: 1. Reconciliari Deo per mortē Christi. 2. Servari per vitam Christi. Termini quibus illi inesse dicuntur: 3. Nos quum adhuc essemus inimici. 4. Nos quum jam sumus reconciliati. Jam terminus primus dicitur inesse tertio: cui tamen minús videtur inesse quám secundus quarto. Ergo multó magis secundum quarto inesse dicendum est.

σχηματισμὸς argumentationis prioris.

3 *Si pro nobis peccatorib.* 1 *Christus mortuus est:* (*ira.*
4 *Ergo nos justificati* 2 *Per Christum servabimur ab*
Posterioris argumentationis delineatio. (*Christi:*
3 *Si nos inimici* 1 *reconciliati sumus Deo per mortē*
4 *Ergo nos recōciliati* 2 *servabimur per vitā Christi.*

Cic. 1. Offic. Quód si ea quæ acceperis utēda, majore « mensura (si modó possis) jubet reddere Hesiodus: quid- « nam beneficio provocati, facere debemus? quasi dicat, « Si mutuum reddendum est majore mēsura: multó magis donum remunerandum est majore mensura.

3 *Mutuum* 1 *Reddere majore mensura:*
4 *Donum* 2 *Remunerari majore mensura.*

Horat. *Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones:*
Ut teipsum serves, non expergisceris?

Quasi dicat, Si latrones de nocte surgunt, ut jugulent te: ergo tu multó magis expergisci debes, ut serves te.

Nemo non modó] In hoc exemplo cōparatio rationū est. Amplificat enim orator conjurationem Catilinæ, cōparatione minoris, id est sententiæ minús probabilis. Sententia quam amplificat, est hæc: Catilina conjuratos ascivit Romę. Hanc sententiā amplificat comparatione illius: Catilina cōjuratos ascivit in omnibus angulis Italiæ. Ista sentētia minús probabilis erat, quám illa prior. Itaq; in hoc exēplo nota majoris est, Non modó: minoris, Sed ne. Sicut & in illo Phil. 2. O rem non modó visu fœdā, sed etiam auditu. Magis .n. pbabile est: esse aliqd fœdū visu, quám auditu. *Tentare*] Sententiā hanc, *Catilina vexat rempub.* illustrat orator collatione minoris, *Malim tētaret, quám vexaret.* *Quæ cúm*] Sententiam

hanc, Hæc ratio adminiſtrandi rempubl. mihi difficilis eſt: illuſtrat collatione minoris, Cæteris minús difficilis eſt. *Sævior es*] Amplificat poëta crudelitatem maledici cujuſdam,comparatione minorum:nempe crudelitatis Buſiridis & crudelitatis Phalaridis. Sententia amplificanda, Tu es crudelis. Sententiæ amplificantes: Tu es crudelior Buſiride:tu es crudelior Phalaride.quod idem valet ac ſi dicas: Buſiris minús crudelis fuit quám tu: itemque Phalaris. *Ut corpus*] Exemplum argumentationis á minori:Tu páteris aliquid propter corpus: ergo pátere etiam propter animum.Cujus tamen argumentationis vis non conſiſtit in collatione corporis cũ animo,tanquã minoris cum majori: ſed in collatione duarum ſententiarum,Pati velle propter corpus,& pati velle propter animum: quarum illa minús eſt probabilis quám hæc. Exemplũ pertinet ad primum axioma ſuprá propoſitum. *Omnes ex omni*] Amplificat orator juriſprudentiam Sulpitii. Sententia amplificanda, Sulpitius eſt juris bene peritus.Amplificatio per collationem minorum: Omnes anté nati Romæ juriſconſulti nón habuerunt tantam juris intelligentiã, quantam Sulpitius. Hîc nota minoris eſt, negatio paris, Nõ ſunt conferẽdi. *Quanquam illi*] Exemplum hoc nõ eſt hujus loci: nam elevat orator querelam Catilinariorum,comparatione majoris,id eſt probabilioris.Sententia quam elevat:Catilinarij queruntur,Catilinam ire Maſſiliam. Elevatio: Non tam queruntur quám verentur. id eſt,magis verẽtur quám queruntur.Hîc nota minoris eſt,Non tã: majoris, Quám. *Quod enim fret.*] Amplificat orator perturbationes comitiorũ,cõparatione minoris:Freta non habent tantas agitationes fluctuum,quantas perturbationes habent comitia. *Tantum abes*] Cæſar cõqueſtus de ſuſpicione cõjurationis,dicebat,ſe ſatis ſibi vixiſſe: at orator negat,reipubl. collapſæ,neq; dum reſtitutæ,ſatis eum vixiſſe.Et hanc ſententiam amplificat cõparatione minoris, ad hunc modum: Nondum perfeciſti inſtaurationem reipublicæ:imó(quod minus eſt)nondum je-

cisti instaurationis illius fundamenta. Potest etiam dici, amplificationem hanc constare collatione majoris, id est probabilioris sententiæ, ad hunc modum: Nondum perfecisti: imó ne fundamenta quidem jecisti. Probabilius enim est, aliquem fundamenta jecisse ædificii quod pridem extructum voluit, quám illud perfecisse. Quod si ergo nondum jecit fundamenta: multó minús perfecit. *Saxa & solitud.*] Rursus exemplum argumentationis. Sic enim argumentatur orator: Saxa & solitudines voci respondent: bestię sæpe immanes, cantu flectūtur atq; consistunt: Ergo multó magis homines instituti rebus optimis, poëtarum voce moveri debent. Exemplum pertinet ad tertium axioma. Est autem argumentum geminum: cujus utriusq; analysis hæc est. prioris: duo quæ insunt, Vox & Carmen: duo quibus illa insunt, Saxa & homines. Ratio á minori: Quia minús probabile est, saxa moveri voce, quám homines moveri carmine. Posterioris: duo quæ insunt, Cantus & carmen: duo quibus illa insunt, Bestiæ & homines. Ratio á minori: Quia minús credibile est, bestias moveri cantu, quám homines moveri carmine. *Facinus*] In hac gradatione itur á minoribus ad majora. *Anté leves*] His verbis Tityrus amplificat suam beneficiorum Cæsaris memoriā. Sententia quam amplificat, est hæc: Non obliviscar beneficia Cæsaris. Hanc sententiam amplificat collatione hyperbolica minorum, id est sententiarum minús probabilium: Cervi pascentur in æthere, Mare arefactum destituet pisces, &c. Hîc igitur nota minoris est, Anté: majoris, Quám. *O rem*] Turpitudinem vomitus Antonii amplificat orator comparatione minoris: Inter cœnam vomere, turpe est: ergo multó magis in cœtu populi. Exemplum pertinet ad axioma primum. Unum quod inesse dicitur, Vomere: duo quibus illud inesse dicitur, Cœna & cœtus populi.

CAP. 21. DE SIMILIBUS.

Adhuc comparatio in quantitate fuit, se-

quitur comparatio in qualitate, qua res comparatæ quales dicuntur: nempe similes aut dissimiles. Similia sunt, quorum est eadem qualitas: similitudo, proportio dicitur, ut similia proportionalia. Notæ similitudinis quæ uno verbo concluditur, sunt, Similis, Effigies, More, Instar, Tanquam, Sicuti: tum negatio dissimilitudinis, Haud secus, non aliter. 1. Æneid.

Os humerosq; Deo similis.--

" 9. Philip. Quanquam nullum monimētum
" clarius Servius Sulpicius relinquere potuit,
" quám effigiem morum suorum, virtutis, con-
" stantiæ, pietatis, ingenii, filium. 1. Trist.

Namq; ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilléo tollere more potest.

" In Pis. unus ille dies mihi quidem instar im-
" mortalitatis fuit, quo in patriam redii. Verr. 1.
" Sed repenté é vestigio ex homine, tanquam a-
" liquo poculo Circæo, factus est verres. Pro
" Pompejo, Itaq; omnes quidem nunc in his lo-
" cis Cn. Pompejum sicut aliquem non ex hac
" urbe missum, sed de cælo delapsum intuentur.
3. Æneid.

Haud secus ac jussi faciunt.--

Terentius in Phorm.

Ego isti nihilo sum aliter, ac fui.

Similitudinis partes deinceps explicantur, & quidem disjuncté vel continué. Similitudo disjuncta est, quando termini quatuor re ipsa distinguuntur. Eclog. 5.

Tale tuum carmen nobis divine poëta,
Quale ſopor feſſis in gramine.

Carmen ad auditorem, ut ſopor ad feſſum, termini quatuor diſtincti ſunt. Ad Frat. 1. Quẽadmodum gubernatores optimi, vim tempeſtatis: ſic ſapientiſſimi viri, fortunæ impetum perſæpe ſuperare non poſſunt. Hîc quatuor ſunt item termini; ut gubernator ad tempeſtatem, ſic ſapiens ad fortunam. 1. Triſt.

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum:
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Cic. 2. Phil. Sed nimirum ut quidam morbo & ſenſus ſtupore, ſuavitatem cibi nõ ſentiunt: ſic libidinoſi, avari, facinoroſi, veræ laudis guſtum non habent. Virgilius fecerat hos verſus:

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula manè:
Diviſum imperium cum Iove Cæſar habet.

Batyllus arrogaverat ſibi, præmiumque magnum erat adeptus. His igitur ſimilibus Batyllum Virgilius luſit:

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis aves:
Sic vos non vobis mellificatis apes:
Sic vos non vobis vellera fertis oves:
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Aliquàndo nulla prorſus eſt nota. Virgil. Ecl. 2.

O formoſe puer, nimium ne crede colori;
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Continua ſimilitudo eſt, quando eſt ut pri-

mus terminus ad ſecundum, ſic ſecundus ad
» tertium,3.Leg.Videtíſne magiſtratus hanc eſſe
» vim,ut præſit, præſcribat recta & utilia & con-
» juncta cum legibus? ut enim magiſtratibus le-
» ges, ita populo præſunt magiſtratus. Hîc ter-
mini ſunt tres: lex,magiſtratus,populus.

"Ficta ſimilitudo parem vim habet ſuperio-
ribus illis, ſed præcipué in hac explicata ſimili-
tudine Æſopici" apologi excellũt. Hor.1. Epiſt.

Quód ſi me populus Romanus forté roget, cur
Non ut porticibus, ſic judiciis fruar iiſdem,
Nec ſequar, aut fugiã quæ diligit ipſe, vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam: quia me veſtigia terrent
Omnia te adverſum ſpectantia, nulla retror-
ſum.

Similia] Nihil video in hujus loci tractatione, quod vel enodationis, vel caſtigationis indigeat. Hoc tantúm admoneo, uſum ſimiliũ potiſſimúm verſari in illuſtrando: ſæpe etiam in occultando, quando ſcilicet propriis verbis omiſſis, ſolũmodo translatis utimur. Unde Chriſtus interrogatus á diſcipulis, quare per parabolas, id eſt, ſimilitudines, loqueretur populo, Matth. 13. reſpon-
» dit, Quia vobis datum eſt, noſſe myſteria regni cœlo-
» rum: illis autem non eſt datum. Item, Propterea per pa-
» rabolas loquor eis, quia videntes non vident, & audien-
» tes non audiunt, nec intelligunt. Cæterũ ſimilibus ad illuſtrandum adhibitis ſacra ſcriptura referta eſt. ut Eſa. 53. Chriſtus ad mortem ductus comparatur agno qui ducitur ad mactationem; & ovi obmuteſcenti coram tonſore: ut illuſtretur Chriſti patientia. Pſalm. 1. Vir pius comparatur arbori plantatæ ad rivos: ut illuſtretur ejus felicitas. Sic Pſal. 91. comparatur palmæ & cedro Libani.

Matth.23.Chriſtus comparat Phariſęos ſepulchris dealbatis, ad declarandum eorum hypocriſin:ſe autem gallinę congreganti pullos ſub alas,ad declarandum ſuum amorem erga Judæos. *Scilicet ut fulvum*]Eâdem ſimilitudine illuſtratur in ſacris literis conſtantia fidei Chriſtianæ. 1. Pet.1.v.6 & 7. *Ficta ſimilitudo*] Tales ſunt parabolæ Salvatoris in hiſtoria Evangelica. Talis eſt ficta narratio Prophetæ Nathanis apud regem Davidem,de cive divite qui pauperi unicam ſuam ovem eripuerat: quam tandem ad Davidem accommodat. 2. Sam. 12. *Apologi*] Judic.9.extat inſignis apologus Jothami, quomodo arbores elegerint ſibi regem.

CAP. 22. DE DISSIMILIBUS.

"Diſſimilia ſunt comparata, quorum qualitas eſt diverſa. Diſſimilitudinis proprię notæ ſunt,diſſimile,diſpar,differens,aliud,ſecus.pro Planc. Quanquam diſſimilis eſt debiti pecuniæ & gratiæ.Ennius,

O domus antiqua, heu quàm" diſpari dominare domino.

Cæſar 1.bel.Gal. Hi omnes lingua,inſtitutis, legibus inter ſe differũt. 2. Agrar. Alio vultu,alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur. Cicer.2.Nat.Quoniam cœpi ſecus agere atque initio dixeram. Diſſimilitudinis notæ etiã ſunt per negationem ſimilium. 3.de Orat. Non eſt philoſophia ſimilis artium reliquarum. 2.Æneid.

At non ille,ſatum quo te mentiris,Achilles,
Talis in hoſte fuit Priamo.—

Horat.1.Epiſt.

Non eadem est ætas, non mens.——

„ 1. ad Fratr. Sit annulus tuus, non tanquam
„ vas aliquod, sed tanquam ipse tu. 3. Phil. Certus
„ dies non ut sacrificii, sic consilii expectari solet.
Hoc argumento pastor ille errorem suum cõfitetur:

Urbem (quam dicunt Romam) Melibœe, putavi
Stultus ego, huic nostræ similem.—— Et mox,
Sic canibus catulos similes, sic matribus hœdos
Nôram, sic parvis componere magna solebam.

"ut nec canibus catuli, nec matribus hœdi; sic nec Mantua Romæ similis est. Nota plerũq; nulla est, & dissimilitudo pleniús explicatur.
„ Quintil. lib. 5. c. 11. Brutus occidit liberos, pro-
„ ditionem molientes; Manlius virtutẽ filii mor-
„ te mulctavit. Catullus:

Soles occidere & redire possunt:
Nobis cúm semel óccidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Dissimilia] Dissimilium exempla é sacris literis. Psal
„ 1. Non sic impii. Joan. 10. Bonus pastor animam suam
„ dat pro ovibus: mercenarius autem & qui nõ est pastor,
„ cujus non sunt oves propriæ, videns lupum venientem,
„ relinquit oves & fugit. Joan. 4. Christus declarat Sama-
"ritanæ, aquam á se promissam, dissimilem esse ei aquæ
„ quam dabat mulier: Omnis, inquit, qui bibet de aqua
„ hac, sitiet iterum: quisquis autem biberit de aqua quam
„ ego dabo, neutiquam sitierit in æternum: sed aqua quã
„ ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æter-
„ nam. Matth. 7. vers. ult. Docebat eos (videlicet Christus
„ populum) ut habens authoritatem, & non ut scribæ. 1.

Sam.2,v.25. Si peccaverit vir in virum, judicabit ipsum judex: si autem in Jehovam peccaverit quispiam, quis judicabit pro eo? Hujus loci est negatio similitudinis cum indicatione dissimilitudinis: Quum enim pro similibus proponuntur quę similia non sunt, negari solet similitudo, & rationis loco subjici dissimilitudo: ut, Non quemadmodum Israëlitis licuit spoliare Ægyptios, ita nobis etiam licet deprædari proximum:. Non enim nos idem quod illi, mandatum à Deo accepimus. Sic, Non quemadmodum equis vetulis teneros anteponere solemus, sic amici novi veteribus sunt anteponendi: non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum, satietates. Vide Lælium Cic. Sic in oratione pro Murena, quum Servius Sulpicius existimaret, Ciceronē sibi contra Murenā adesse debere in caussa capitis, sicut antea sibi contra eundem adfuerat in caussa honoris: Cicero similitudinem istam negat his verbis: Sic existimo (inquit) sic mihi persuadeo: me tibi contra honorem L. Murenæ, quantum tu à me postulare ausus sis, tantum debuisse: contra salutē nihil debere. neque enim si tibi tū quum peteres consulatum, affui: idcirco nunc quum Murenā ipsum petas, adjutor eodem pacto esse debeo. Atq; hoc non modò non laudari, sed ne concedi quidem potest: ut amicis nostris accusantibus, non etiam alienissimos defendamus. *Dispar*] Dispar hîc pro dissimili: sicut par pro simili in illo, *Par levibus ventis.* *Ut nec canibus*] Aliter verba poëtæ explicanda censeo, nempe ad hunc modum: Non ut canibus catuli, & matribus hœdi, sic Mantua Romæ similis est. Aliás non erit hîc dissimilitudo, sed similitudo.

CAP. 23. DE CONJUGATIS.

Hactenus prima argumēta sunt exposita, sequuntur orta de primis, q̄ perinde sunt ad id qđ arguūt, sicut prima, unde oriūtur: ut conjugata & notatio: distributio & definitio. Conjugata sunt nomina ab eodē principio varié deducta,

ut justitia, justus, justé. In conjugatis symbolum est consentaneorum argumentorum. Propertius lib. 2.

Libertas quoniam nulli jam restat amanti;
Nullus liber erit, si quis amare velit.

Hic libertas caussa est, cur sis liber. Cic. 3. de Nat. Deorum, cúm de Dionysio Tyranno lo-
» quitur: jam mensas argenteas de omnibus de-
» lubris jussit auferri, in quibus quód more ve-
» teris Græciæ inscriptum esset, BONORUM
» DEORUM, uti eorum bonitate velle se dicebat. Dii boni sunt: eorum igitur bonitate est utendum. Hîc ex effectis ad caussas est disputatum. Terent.

Homo sum, humani á me nihil alienum puto.

Ex subjecto est ad adjunctum. Contrá Phil.
» 2. Non tractabo ut consulem, ne ille quidẽ me
» ut Consularem. In Pison. Cúm esset omnis illa
» caussa Consularis & Senatoria, auxilio mihi o-
» pus fuerat & consulis & Senatus.

» *Conjugata sunt*] Cicero in Topicis, Conjugata, in-
» quit, dicuntur quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Ejus-
» dem autem generis verba sunt, quæ orta ab uno varié
» commutantur: ut sapiens, sapienter, sapientia. Hæc ver-
» borum conjugatio συζυγία dicitur: ex qua hujusmodi
» est argumentum: Si compascuus ager est, jus est com-
» pascere. Hæc Cicero. Aristoteles veró in suis Topicis lib. 2. cap. 3. appellat σύστοιχα, quasi dicas coordinata: & definit sic, σύστοιχα δὲ λέγεται τὰ κατὰ τὴν αὐτὴν συστοιχίαν ἅπαντα· οἷον δικαιοσύνη, δίκαιος, δίκαιον, δικαίως. id est, Coordinata dicuntur omnia ea quę in eadem coordinatione sunt: ut justitia, justus, justum, justé. Huc pertinent etiã

πλώ-

πτώσεις, casus: quo vocabulo tempore Aristotelis (ipsomet teste in loco citato) appellabantur sola adverbia á nominibus derivata. Verúm hanc appellationem merentur etiam casus obliqui nominum: item comparativi gradus & superlativi. Porró argumentatio á conjugatis ad jocandum valet, quum luditur alterius conjugatorum ὁμωνυμίᾳ, id est, ambiguitate. ut apud Cic. lib. 2. de Orat. Quum in senatu ageretur de agris publicis: " & premeretur Lucilius ab iis qui á pecore ejus depasci " agros publicos dicerent: Non est (inquit Appius) Lucilii " pecus illud: erratis. (Defendere Lucilium videbatur.) E- " go liberum puto esse: quá lubet, pascitur. Hactenus Ci- " cero. Sic igitur argumentabatur Appius: Pecus illud pascitur quá libet: Ergo est liberum. Si liberum: ergo nó est Lucilii. Sed ludebat Appius ambiguitate nominis *Liberum*. Liberum enim dicitur tum quod solutum est & expeditum ad movendum sese quó libet: tum quod non est servum seu sub domini alicujus potestate. Priore sensu pecus Lucilii liberum erat; posteriore non erat: at de hac libertate erat quæstio. Præterea non valet consequentia á conjugato actionis unius aut actionum paucarum ad conjugatum habitus: eó quód habitus nō nisi ex multis actionibus comparatur. quare non sequitur, Davidis factum, quum necem pararet Uriæ innocenti, fuit tyrannicum: Ergo David fuit tyrannus. Nec sequitur, Cambysis factum, quum iniquo iudici detraxit pellem & eam instravit sedi, fuit justum: Ergo Cambyses fuit justus. Ad ejusmodi dici solet: Una hirundo non facit ver. Præterea ad hūc locū pertinet argumentū quod vocatur á concreto ad abstractum: ut, Baptista recepit milites manentes in officio: Ergo approbavit militiam. Quanquam hîc consequutio non pendet ex conjugatis, Miles & Militia: sed ex eo quod additur, Manētes in officio. quod jam argumentum est á testimonio, nempe tacita confessione. nam silentium Joannis vim habebat approbationis. Si enim militiam improbasset, certé palam id esset professus: quippe quum eos hortaretur ad

pœnitentiam. Postremò notandum, é conjugatis sæpe duci argumenta quæ simul vim habent á pari: ut, Si qui fortiter agit, cōsideraté pericula suscipit & labores perpetitur: est quoque fortitudo, considerata periculorum susceptio & laborum perpessio. Item, Si justitia non est scientia: neque scienter agere dici poterit qui agit justé: Item, si currens movetur: ergo cursus est motus.

CAP. 24. DE NOTATIONE.

"Notatio, est nominis interpretatio: nomina siquidem sunt notæ rerū; nominumq; vel derivatorúm, vel compositorū, si vera notatione fiant, ratio reddi potest ex aliquo argumento primo: ut" homo ab humo. Ovid 6. Fastor.

Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.

Ex caussa est notatio.

At focus á flammis, & quòd fovet omnia, dictus.

Ex effectis est notatio.

» Item 4. Ver." O Verrea præclara! Quó enim
» accessisti, quó non attuleris tecum istum diem?
» Etenim quam tu domū, quam urbem adiisti,
» quod fanum denique, quod non eversum atq;
» extersum reliqueris? Quare appellentur sané
» ista Verrea, quæ nō ex nomine, sed ex moribus
» naturaque tua constituta esse videantur. Ex effectis item est notatio. Ovid. 1. Fast.

Prima dies tibi Carna datur, dea cardinis hæc est;

Nomine clausa aperit, claudit aperta suo.

Hîc est notatio é subjecto cardine, circa quē numen deæ exercetur. At ex adjunctis notatio est Bambalionis 2. Philip. quia balbus & stupidus:

ſtupidus:hinc igitur cavillatio in Antoniũ generũ. Tuæ conjugis, bonæ fœminæ,locupletis quidem certé,Bambalio quidam pater,homo nullo numero,nihil illo contemptius:qui propter hæſitantiam linguæ ſtuporemque cordis cognomẽ ex contumelia traxerit. Ex adjunctis eſt notatio. E diſſentaneis autem ſunt illa apud Quintilianum libro primo,capite ſexto: Lucus,quia umbra opacus, parũ luceat:& Ludus, quia ſit longiſſimé à luſu: & Dis, quia minimé dives. Poteſt etiam é comparatis eſſe notatio: ut Pyropus, quód ignis flammam imitetur. Eſt veró ut notationi ad ſuum nomen, ſic nomini ad notationẽ ſua affectio: ut Animi plenus,ergo animoſus: & contrá, Animoſus,ergo animi plenus.

Notatio] Cicero in Topicis, Græci,inquit, ἐτυμολογίαν vocarunt, id eſt(verbum ex verbo) veriloquium:nos autem novitatem verbi non ſatis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus: quia ſunt verba, rerum notæ. Itaque hoc idem Ariſtoteles σύμβολον appellat: quod Latiné eſt nota.Hæc ille. *Homo ab humo*] Quintilianus lib. I.cap.6. hanc notationem deridet: Etiamne hominem appellari, inquit,quia ſit humo natus? Quaſi veró nõ omnibus animalibus éadem origo:aut illi primi mortales anté nomen impoſuerint terræ,quám ſibi. Hæc ille. Sed miſer homo ignoravit ſacras literas: q̃ hãc notationem in lingua Hebraica confirmant. ut Geneſ. 2,7. Et formavit dominus Deus hominem,pulverem de humo. Et cap.3,v.19. ait Deus primo noſtro parẽti,In ſudore vultus tui veſcéris pane tuo,donec revertaris in humũ,qa ex ea ſumtus es. Hebraicę appellationes ſunt:hominis,Adã:humi,adamáh. Significat aũt adamáh, ꝓprié

humum ruffam: ex quali hominem á Deo formatum fuiſſe, tum ipſa nominis proprietas arguit, tum quód in partib. Oriẽtalibus (ſicut & aliis multis in locis) propter ſolis aduſtionem humus ſubruffa eſt. Divinitus autem in confuſione linguarum, homo & humus has appellationes ſortita ſunt: ut Hebræis vocibus é regione reſpõderent. Neque veritatem hujus notationis labefactat ratio Quintiliani: quód eádem ratione omnia animalia homines appellanda eſſent, quum omnia humo nata ſint. nam Deus ſolum hominem ſic appellari voluit, ut perpetuam apud ſe haberet ſui humiliandi materiam: quippe qui ex humo, id eſt vili materia, originem traxerit. Cujus humiliationis exemplum extat in Abrahamo Gen. 18. ubi Deum alloquuturus, præfatur in hęc verba:
» En obſecro induxi animum ut loquerer cum domino
» meo, qui pulvis ſum & cinis. Et poſt primi parentis noſtri lapſum, ad ſuperbiã ejus retundendã, qui deo ſimilis fieri cupierat, ait Deus: Pulvis es, & in pulverẽ revertéris. Deinde nec altera Quintiliani ratio valet: neque enim verum eſt quod Quintilianus præſupponit, omniá nomina rebus ab hominibus eſſe impoſita: impoſuit enim quædã ipſe Deus, ut in primo cap. Geneſ. videre eſt. Cæterúm ejuſmodi notationum ſacræ literæ plenæ ſunt: ut, nominis Heva, Gen. 3, 20. Cajin, Geneſ. 4, 1. Seth, ibid. v. 25. Noah, Gen. 5, 29, Abraham, Gen. 17, 5. Iſac, Gen. 17, 17. & Gen. 18, 12. & Gen. 21, 6. Eſau & Jacob, Gen. 25, 25. Edõ, ibid. ver. 30. Nominum filiorum Jacob notationes exponuntur Geneſ. 30.

O Verrea] Enthymema hujus loci eſt, Verres omnia loca Siciliæ verrit, id eſt, ſpoliavit ac deprædatus eſt: Ergo feſtum quod in ſui ipſius honorem inſtituit, meritó appellavit Verrea. Hîc notatio falſa eſt, & ad convitiandum atque jocandum ab oratore conficta. Verres enim feſtum illud ſic appellaverat ex ſuo nomine, non autem ex ſuis moribus ac factis. Simile eſt enthymema Eſaui,
» quo convitiatur Jacobo fratri: Gen. 27. Meritó, inquit,
» vocatum eſt nomen ejus Jacob: ſupplantavit enim me

jam

jam altera vice. Etiam hîc notatio falsa est,& ab Esauo ad convitiandum fratri conficta. nam Jacob á planta nomen acceperat,non quód supplantator futurus esset: sed quód in partu plantam Esaui egredientis tenuisset; ut habetur Gen.25,25 .Hujus generis est & argutatio illa lamentantis Ajacis apud Sophoclem in Ajace flagellifero:

Αἶ, αἶ· τίς ἄν ποτ᾽ ᾤεθ᾽ ὧδ᾽ ἐπώνυμον
Τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς;
Νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοὶ
καὶ τρὶς· τοσούτοις γὰρ κακοῖς ἐντυγχάνω.

Hujus loci enthymema est: necesse habeo αἰάζειν, id est,lamentari: Ergo recté nominor Αἴας,quasi dicas,lamentator.Atque hæc á notatione ad nomen argumenta sunt: vicissim ducuntur etiam argumenta á nomine ad notationem: ut, Cicero pro Mil. Venio nunc,inquit, "
ad aureum illud nomen Chrysogoni. quib.verbis per- "
stringit illius avaritiam:quasi dicat,Chrysogonus habet nomen ab auro, sic dictus quasi ex auro genitus: Ergo non est mirum si sit auri cupidus, id est, avarus. Sic,Sapientes á veteribus Romanis nominati sunt cordati: Ergo illi judicarunt, sapientiæ sedem & quasi domiciliũ esse cor.

CAP. 25. DE DISTRIBUtione.

Reliquum est ex ortis aliunde argumentis argumẽtum"distributionis & definitionis:"in qua utrâque, affectio reciprocationis est; illic partium omnium cum toto, hîc definitionis cum definito. Distributio est,cúm totũ in partes distribuitur.Totum est,quod continet partes.Pars est,quę continetur á toto.Atque ut distinctio totius in partes, Distributio: sic colle-

ctio partium ad constituendum totum, Inductio dicitur.

Distributio sumitur ex argumentis toti quidem cõsentaneis, inter se autem dissentaneis. Itaque tanto accuratior erit, quanto partium & cum toto consensio, & inter se dissensio major fuerit.

Distributionis] Vulgo appellatur divisio. *In quau-traq; affectio reciproc.*] In superioribus editionibus additum erat, *Omnino propria.* quæ verba meritó expunxit author propter falsitatem: quia affectio reciprocationis communis est etiam aliis argumentis: ut, Omnis homo præditus est facultate ridẽdi: & vicissim, quicquid præditũ est facultate ridendi, homo est. ubi subjectũ reciprocatur cum adjuncto. Sic, Plato fuit præceptor Aristotelis: & vicissim, Aristoteles fuit discipulus Platonis. ubi inter se reciprocãtur relata. Hoc tamẽ verum est: in toto genere distributionis & definitionis reciprocationem reperiri: non autẽ in toto genere subjectorum aut adjunctorum, aut aliorum argumentorum. Itaque reciprocatio inest quidẽ distributioni ac definitioni omni, sed nõ soli: quare non est horum argumentorũ propria. *Inter se autem dissentaneis*] Vitiosa igitur divisio est, cujus partes inter se consentaneæ sunt: qualis est illa quę vulgo traditur, divisio partium: qua partes dividuntur in essentiales & integrales. Quasi veró integrales partes, non sint essentiales: quippe constituentes integri essentiam: ut fundamentum, parietes & tectum constituunt essentiam domus: sic singula corporis humani membra constituunt integrum corpus. Vicissim essentiales partes, nõne etiam integrales sunt? ut corpus & anima, hominis: quum integram hominis essentiam constituant. Eodem vitio laborat divisio definitionis, qua dividitur in essentialem, caussalem, collectam ex coacervatione partium, & collectam ex coacervatione accidẽtium. nã quam es-

quam eſſentialem vocant, eſt etiam cauſſalis: quippe conſtans ex genere & differentia ſpecifica: quibus ſymbolis cauſſæ eſſentiam conſtituentes, materia ſcilicet & forma, continentur. Sic quam vocant cauſſalem, eſt etiã eſſentialis: quatenus enim recenſet cauſſas omnes, recẽſet etiam materiam & formam, quæ eſſentiam rei conſtituũt. Sic definitio collecta ex coacervatione partiũ, ſive recitet partes eſſentiales, ſive integrales: ſemper eſſẽtialis eſt. quum veró recitat eſſentiales, materiã & formam: tum non ſolúm eſſentialis, ſed etiam cauſſalis eſt. Talis quoq; eſt diviſio prædicationis (quam ſic in ſcholis Dialecticorum vocant) in regularem, figuratam & inuſitatam. nam figurata, etiam regularis eſſe poteſt: ut tyrannus eſt lupus: ubi prędicatur accidens de ſubjecto, ut ipſe quoque Philippus fatetur. Item quam inuſitatã vocant, etſi de rebus inuſitatis eſt, tamen ipſa prędicatio ſeu loquendi ratio, revera regularis eſt: ut Filius Dei eſt homo, Filius Dei mortuus eſt. in quarum priore prædicatur genus de ſpecie (ſeu ut vulgo loquuntur, ſpecies de individuo) nempe homo de illo homine qui etiam eſt filius Dei: in poſteriore prædicatur accidens de ſubjecto; nam Filio Dei accidit ut moreretur in carne.

CAP. 26. DE DISTRIBUTIONE EX *cauſſis.*

Diſtributio prima eſt ex abſoluté conſentaneis, cauſſis nempe & effectis. Diſtributio ex cauſſis eſt, quando partes ſunt cauſſæ totius. Hîc diſtributio integri in ſua mẽbra præcipué laudatur. Integrũ eſt totum, cui partes ſunt eſſentiales: Membrum eſt pars integri. Sic Grammatica in etymologiam & ſyntaxim, Rhetorica in elocutionem & actionem, Dialectica in inventionem & judiciũ dividitur. Ab his enim partibus artes illæ conſtituũtur. Hæc diſtribu-

tio principalis eſt, cúm rei longioris explicatio "ſuſcipitur.1.Georg.

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere (Mæcenas) ulmiſq; adjungere vites
Conveniat: quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam.—

„ Cic. pro Mur. Intelligo (judices) tres totius „ accuſationis partes fuiſſe: & earum unam in „ reprehēſione vitę, alterā in cōtentione digni- „ tatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam. Quin etiam "aliter tractatur hoc argumēti genus, vel á partibus ad totum, vel á toto ad partes. Catull.

"*Quintia formoſa eſt multis: mihi candida, lōga,*
Recta eſt: hæc ego ſic ſingula confiteor:
Totum illud, formoſa, nego: nam nulla venuſtas,
Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.
Lesbia formoſa eſt: quæ cúm pulcherrima tota eſt,
Tum omnibus una omnes ſurripuit Veneres.

Diſtributio integri] Hæc peculiari vocabulo appellatur partitio: ſicut diſtributio generis in ſpecies nominatur diviſio: teſte Cicerone in Topicis. Sic decalogi diſtributio in duas tabulas, partitio: diſtributio legū Moſaicarum in morales, ceremoniales & forenſes, diviſio eſt. *Suſcipitur*] Sive á poëtis, ſive á philoſophis, ſive ab oratoribus, ſive á concionatoribus. *Aliter*] Nempe συμπερασματικῶς ſeu ἀκολουθητικῶς: de qua tractatione hæc extant axiomata apud Ariſtot. lib. 6. Topic. cap. 6. In quo totum

eſt, in

eſt,in illo oportet & partes eſſe: In quibus partes ſunt,& totum neceſſe eſt ineſſe: Si partium vel una deſit,totum non eſt:at contrà non ſequitur,Si totum non ſit,nullam partem eſſe. *Quintia formoſa*] Enthymema eſt:Quintiæ deeſt una pars formæ,nempe venuſtas: Ergo Quintia non eſt tota formoſa. Argumentum eſt á parte ad totum: Conſequentia valet per axioma tertium. Notãdum, é ſingulis cauſſarum generibus diſtributionem eſſe poſſe.Ex efficiente:ut,Philoſophia ſcripta eſt partim á Platone,partim ab Ariſtotele. Eccleſia Corinthiorum collecta eſt partim per Paulum, partim per Apolló. Ex materia: ut, Vaſa templi Salomonici, alia erant ex auro,alia ex argento,alia ex ære, &c. Ex forma: Vaſorum alia rotunda,alia quadrata, &c. Ex fine eſt illa Pythagoréa diſtributio, quinta Tuſculanâ, Græcorum ad ludos Olympicos cõvenientium: quorum alii veniebant gratiâ gloriæ, alii gratiâ pecuniæ, alii gratiâ ſcientiæ.

CAP. 27. DE DISTRIBUTIONE *ex effectis, ubi de genere & ſpecie.*

Diſtributio ex effectis, eſt quando partes ſunt effecta: ut, in navi nautæ alii malos ſcandunt, alii per foros curſitant, alii ſentinam exhauriunt, gubernator autem clavum tenet in puppi. Diſtributio generis in ſpecies hîc excellit. Genus,eſt totum partibus eſſentiale: Species,eſt pars generis. Sic animal genus hominis & beſtiæ dicimus. Animal enim eſt totum, cujus eſſentia, nempe ſubſtantia corporea, animata, ſentiens, ad beſtiam & hominem communiter attinet. Sic dicimus,hominem & beſtiam ſpecies animalis; quia partes ſunt animali ſubjectę, quæ animalis eſſentiam communem

habent. "Sic dicimus, hominem, genus hominum singulorum: & leonem, singulorum leonum: cõtrá veró singulos homines, species hominis: singulos leones, leonis. Genus, est generalissimum, aut subalternum: Species, subalterna aut specialissima. Genus generalissimũ, cujus nullum est genus:" ut in Logica inventione, argumentum est genus generalissimum artificialium & inartificialium.

"Subalternũ genus, ut subalterna item species, quod species hujus, illius autem genus est: ut caussa, species est argumenti absoluté consentanei, genus materiæ & formæ. Species specialissima, quæ est" individua in species alias, ut materia & forma singulares. Genus veró & species, notæ sunt caussarum & effectorum: ut in animali est essentia corporea, quæ materia est ad species cõmuniter attinens: tum facultas vitæ & sensus, quæ forma item cõmuniter ad species spectat. Quare genus continet caussas, quæ cõmuniter ad ipsius species attinent: contráitaq; etiam species effecta generis sui continent. Hinc universale est insigne ac præstabile, quia caussam declarat. Distributio generis in species valde quidem excellit, sed difficilis est & rara invẽtu. Attamen illustrationis & exempli gratia afferemus, quod poterimus. Ovid. 1. Metam." dividit animal in quinq; species, stellas, aves, bestias, pisces, homines: stellis animam tribuit, ut etiam philosophi tribuêre:

Neu

Neu regio foret ulla suis animalibus orba,
Astra tenent cæleste solum formæq; deorum:
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ:
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est.--

Sic Cic. 1. Offic. Virtutem dividit in species quatuor, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Sed omne, quod honestũ est, «
id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim «
in perspicientia veri solertiaq; versatur; aut in «
societate hominum tuenda, tribuendoque su- «
um unicuique, & rerum contractarum fide; «
aut in animi excelsi atque invicti magnitudine «
ac robore; aut in omnibus quæ fiunt, quæque «
dicuntur, ordine & modo, in quo inest mode- «
stia & temperantia. «

Distributio generis in formas specierũ, eadem est; quia formæ cum genere constituunt suas species: ut animalium aliud loquens, aliud mutum. Genus & species non solúm tractãtur hac simplici divisionis formula, sed etiam separatim," alterũ ex altero. Pro Archia, Ac ne quis «
á nobis hoc ita dici forté miretur, quod alia quædã «
in hoc facultas sit ingenii, atq; hæc dicendi ra- «
tio aut disciplina: nec nos quidem huic cuncti «
studio penitus unquam dediti fuimus. Etenim «
omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, «
habent quoddam commune vinculum, & «

„ quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. Ars, eſt genus: poëtica & eloquentia, ſunt ſpecies. Contrà genus tractatur per ſpecies: ut 4. de Triſt.

Materiamq; tuis triſtem virtutibus imple.
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis noſſet, felix ſi Troja fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.
Ars tua Tiphy jacet, ſi non ſit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua, Phœbe, jacet.
Quæ latet, inq; bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturq; malis.


Exempla igitur ſpecialia ſuo generi accom-
„ modata, ſunt hujus loci. 7. ad Attic. urbem tu
„ relinquas? ergo idem, ſi Galli venirent? Non
„ eſt (inquit) in parietibus Reſpublica. at in aris
„ & focis. Fecit idem Themiſtocles: fluctum e-
„ nim totius barbariæ ferre urbs una non pote-
„ rat. At idem Pericles non fecit, annum feré
„ poſt quinquageſimum, cúm præter mœnia nil
„ teneret: noſtri olím urbe reliqua capta, arcem
„ tamen retinuerunt.

Sic dicimus hominem genus] Et rectè. De ſimilibus enim idem judicium eſt. at ſimilis prorſus relatio atque comparatio eſt hominis ad ſingulos homines, quæ animalis ad hominem, equum &c. Quare ſi animal rectè dicitur genus hominis, equi &c. pari ratione homo rectè appellatur genus ſingulorum hominum: & omnino quæ vulgó nominantur ſpecies ſpecialiſſimæ, genera extrema ſunt: quæ autem appellantur individua & ſingularia, ea ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ. Conſentit Ariſtoteles lib. 3. metaphyſ. cap. 4. ἔϲχατα γένη ἐπὶ τοῖς ἀτόμοις,


οἷον

οἷον ἄνθρωπος: id est, Extrema seu ultima genera supra individua sunt, ut homo. *Ut in Logica inventione*] Sic in divisione rerum, genus generalissimum est ens, τὸ ὄν: pro quo Latini dicunt, Res vel Aliquid. At in scholis negant Ens esse genus decem prędicamentorum: eó quód non prædicetur de iis συνωνύμως, univocé, id est, ita ut & nomen & nominis definitionem singulis tribuat: quia tribuat solum nomen, non autem definitionem, nempe qua Ens definitur quod est per se, vel per accidens. At ego nego hanc esse Entis definitionem: quum sit ejus divisio. Ens autem esse genus decem prædicamentorũ, ex eo probo, quód de singulis dicitur in quęstione Quid est, non reciprocé. id quod omni generi & soli & semper convenit. ut, Quid est substantia? Est ens. At non vicissim: Non enim omne ens, substantia est. Sic, Quid est quantitas? Est ens. At non vicissim. Similiter de reliquis. *Subalternum genus*] Hic notanda est nova divisio: nam subalternum genus aut intermedium est, aut infimum. Intermedium, quod inter generalissimum seu summũ & infimum interjectum est: ac proinde non solúm supra se, sed etiam infra se aliud genus habet: ut corpus, animal. Infimum, quod cæteris omnibus cognatis generibus subjectum est, ac proinde nullum aliud infra se genus habet: ut homo. Notanda est & consimilis nova divisio speciei subalternæ: nam species subalterna aut intermedia est, aut summa. Intermedia, quæ inter infimam seu specialissimam & summam speciem interjecta est: ac proinde non solúm infra se, sed etiam supra se, aliam speciem habet: ut homo, animal, corpus. Summa species, est species subalterna, quæ est supra omnes cognatas species: ac proinde nullam supra se, aliam speciẽ habet: ut substantia. Quo loco & illud notandum: sicut ab Aristotele decem numerantur summæ species entis, nempe decem prædicamenta, Substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs & habitus: sic á P. Ramo decem numerari summas species argumenti: nempe, Caussam, effectum, subjectum, adjun-

ctum, dissentanea, comparata, nomen, distributionem, definitionem, & testimonium. Verùm pro vocabulo scholastico Speciei, Latini magis utuntur vocabulo generis: & eodem sensu vocant decem summa genera rerum: quare similiter appellabimus decem summa genera rationum seu argumentorum.



Vel sic:



Individua in species] Itaq; quæ vulgo individua dicuntur, nihil aliud quàm species specialissimæ sunt; sic appellatæ quód dividi in alias species non possint: quæ Logica divisio est. nam Physicè dividi possunt substantiæ singulares in sua membra: ut Socrates in suum corpus & suam animam: & corpus Socratis in sua mēbra, quæ propriè nō divisio, sed partitio dicitur, seu potiús sectio, ἀνατομή. *Dividit animal*] Hæc divisio è subjectis

sumta

sumpta est,videlicet é locis in quibus animalia degunt ac vivunt:nempe alia in cœlo,ut stellæ:alia in aëre,ut aves: alia in aqua,ut pisces: alia in terra,ut bestiæ & homines.
Alterum ex altero] Hactenus de usu declarationis: sequitur de usu demonstrationis. Ad quem usum pertinent axiomata seu regulæ argumentandi tum á genere ad speciem, tum vicissim á specie ad genus: quæ extant apud Arist.lib.2.Topic.cap.2. Ad argumentationem á genere pertinent hæc tria. 1. Necesse est,de quibus genus dicitur,de iis specierum aliquam dici.2.Non est necesse,quæcunq; generi insunt,etiam speciei inesse. Hoc videtur ab Aristotele dici propter enunciata in quibus divisio dicitur de genere:ut animal aut rationale est aut irrationale. hæc divisio de nulla specie animalis veré dicitur: sed tãtúm alterum ejus membrum. Nam aliás videtur speciei inesse quicquid generi inest: per axioma quod extat in Categoriis, Quãdo alterum de altero dicitur ut de subjecto; tum quæcunq; de prædicato seu attributo dicuntur,eadem dicẽtur de subjecto.3. axioma, Quæcunque generi non insunt, ea nec speciei insunt. Atq; hæc tria generis axiomata sunt, jam ad argumentationem á specie pertinent ista duo.1.Quæcunque speciei insunt,ea etiam generi insunt.intellige,Ex parte: aliás falsum fuerit.non enim omne animal,rationale est: at omnis homo,rationalis est. 2. Quæcunq; speciei nõ insunt,non necesse est generi non inesse. Atq; hæc Aristotelis de genere & specie axiomata sunt: extant etiam duo apud Quintil.libr.5. cap.10. quæ rotunda brevitate laudem merentur: unum, Species firmã probationem « habet generis: nam quod justitia est,utiq; virtus est. Al- « terum, Species infirmam generis refutationem habet: « nam quod non est justitia,potest esse virtus. Hæc Quin- « tilianus de argumentatione á specie: atq; eadem brevitate comprehendi possunt duæ regulæ argumentandi á genere,illis de specie opposità:nempe,Genus infirmam probationem habet speciei:nam quod virtus est,nõ statim justitia est. 2. Genus firmã generis refutationẽ ha-

bet:nam quod non est virtus,utique nec justitia est. Atq; hæc de argumentationibus á genere ad speciem, itemque á specie ad genus : restat ut deinceps aliquid dicamus de argumentationibus á specie ad speciem. Primũ igitur certum est,de quo species affirmatur,de eo negari speciem diversam:ut,Socrates est homo:ergo non est equus. At non est necesse,ut de quo species aliqua negatur,de eo diversarum aliqua affirmetur: aut si aliqua affirmetur, ut affirmetur quælibet, ut non sequitur, Hoc quod vides,non est equus: ergo est asinus. potest enim fieri ut aut omnino non sit animal: aut si sit animal, tamen non sit asinus,sed bos aut aliud. Cúm autem necesse est specierum duarũ pluriúmve aliquam inesse: tum ab affirmatione unius ad negationem alterius vel reliquarum, itemque á negatione unius ad affirmationem alterius,aut ad affirmationem disjunctam reliquarum, item á negatione reliquarum ad affirmationem unius quæ restat,firma consequentia est.ut,Socrates valet: ergo non ægrotat: & vicissim, non ægrotat: valet igitur. Sic, Rabirius non latuit, nec fuit cum Saturnino: ergo
„ fuit cum consulibus. Cic.pro Rabir. Atqui videmus,ait,
„ hæc in rerum natura tria fuisse: ut aut cum Saturnino
„ esset,aut cum bonis, aut lateret. Latere autem, mortis
„ erat instar turpissimę:cum Saturnino esse,furoris & sce-
„ leris:virtus & honestas & pudor cum coss. esse cogebat.
Sic Basilius lib.1.adversus Eunomium,explicans dictum Christi, Pater major me est: concludit,patrem Christo majorem esse ut caussam,tali argumentatione. Majus dicitur aut ratione caussæ, aut potentiæ, aut dignitatis, aut molis seu quantitatis. Atqui Pater nec mole,nec potentia,nec dignitate major est Christo: quæ singula suis prosyllogismis approbat. Relinquitur ergo ut major dicatur ὡς αἴτιος καὶ ἀρχὴ, ut author & principium. Tali argumentatione probat Aristoteles libr. 1. Ethic. cap. 5. Virtutem esse habitum. Primúm ponit hanc specierum enumerationem: Virtus est necessarió aut affectus, aut potentia, aut habitus, Deinde assumit: Atqui virtus non

est

est affectus,nec potentia. Atque ita concludit, virtutem esse habitum. Quo loco notandum, tales argumentationes nihil aliud esse quàm syllogismos disjunctos, de quibus lib.2.infrà. *Exempla igitur specialia*] Exempli vocabulum interdum factum simile significat: interdũ speciem suo generi ad ipsum declarandum subjectam. Atque eiusmodi species ab authore hìc exemplum speciale appellari videtur: quãquam exemplum quod subjicit,ad locum similium potiùs pertinet: ducuntur enim in eo argumenta exhortationis à factis similibus. hortatur enim Pompejum Cicero,ne relinquat Romã metu adventantis Cæsaris: quia Romani urbem non deseruerint adventu Gallorum. Argumentum est ab exemplo, id est, facto simili Romanorum. Deinde fingitur Pompejus caussam suam tueri exemplo,id est, simili facto Themistoclis,qui adventu Xerxis Athenas deseruit: deinde rursus Cicero opponit exempla,id est,similia facta duo: primum Periclis,qui Athenas non reliquit: secundum Romanorum, qui capta à Gallis urbe,Capitolium tamen retinuerunt.

CAP. 28. DE DISTRIBUTIONE *é subjectis.*

Reliqua distributio est quodãmodo-consentaneorum, ut subjectorum & adjunctorũ. Distributio é subjectis est,cúm partes sunt subjecta,ut apud Catul.

Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est:
Tertia pars matri data, pars data tertia patri:
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.

Sic Cicero 5.Tuscul." Sint enim tria genera " bonorum, ut jam à laqueis Stoicorum, quibus "

» usum me pluribus quám soleo, intelligo, recedamus. Sint sané illa genera bonorum, dum corporis & externa jaceant humi, & tantummodo quia sumenda sunt, appellentur bona. Alia autem divina illa, longé latéq; se pandant, cælumque contingant; ut ea qui adeptus sit, cur eum beatum modó & non beatissimum dixerim?

Sint enim tria genera] Peripatetici distinxerunt bona in tria genera: quæ appellarunt bona animi, corporis & fortunæ. Animi, ut virtutes & scientiæ: corporis, ut sanitas, robur, pulchritudo: fortunæ, ut divitiæ, honores, amici: quas res illi, tanquam á fortuna quam deam finxerunt, darentur, sic appellarunt. Unde perspicitur, divisionem hanc non esse satis logicam: quum membra non ex uno argumenti genere sumta sint: sed duo priora é subjectis, tertium veró ex efficiente caussa. Magis logica fortasse fuerit divisio hæc: Bona hominis aut interna sunt, aut externa. Interna, quæ homini inhærent: eaque aut animi, aut corporis. Externa, quæ homini adhærent, eumque quasi circumstant: ut divitiæ, honores, amici: quæ á Peripateticis bona fortunæ dicta sunt. Extat apud Platonem libro quinto de Legibus ad finem divisio, quæ cum divisione illa bonorum quam hîc Cicero attingit, éadem videri possit: sed diversa est: sumta est enim é subjectis occupantibus seu objectis: & est divisio non bonorum, sed studiorũ humanorum. Quum » tria sint omnino, inquit, circa quę universi homines studium suum collocant: ultimum ac tertium est, pecuniarum recté collocatum studium: medium autem, corporis: primum veró, animi. Cicero lib. 1. Academ. quæst. philosophiam é subjectis occupantibus seu objectis sic » dividit: Fuit jam á Platone, inquit, accepta philosophandi ratio triplex: una de vita & moribus: altera de natura & rebus occultis: tertia de disserendo quid verum, quid falsum,

falſum, quid rectum in oratione pravumque, quid con- "
ſentiens. Hæc Cicero. E ſubjectis recipientibus dividi- "
tur febris ad hunc modum, ut alia dicatur eſſe in ſpiritibus cordis, alia in humoribus, alia in ſolidis partibus ſeu in ipſa ſubſtantia cordis. prima appellatur ephemera, quia feré diem tãtúm durat: altera putrida, propter humoris putredinem: tertia hectica, quaſi dicas habitualis, eó quód ita penitús inſederit & quaſi radices in corde egerit, ut evelli aut profligari vix poſſit. E ſubjectis item recipientibus eſt diviſio illa virtutum in Ethicis Ariſtotelis, qua diſtinguuntur in ὀρεκτικὰς & διανοητικάς: quarum illæ in appetitu, hæ in intellectu inhærent.

Cap. 29. De distributione ex adjunctis.

"Diſtributio ex adjunctis eſt, quando partes ſunt adjuncta: ut hominum alii ſani, alii ægri; alii divites, alii pauperes. Sic Virgil. 1. Georgic. mundum dividit in quinque partes, mediam torridam, duas extremas frigidas, & reliquas duas temperatas:

Quinq; tenent cœlum Zonæ, quarum una coruſco
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni:
Quã circum extremæ dextra lævaq; trahuntur,
Cœrulea glacie concretæ; atq; imbribus atris:
Has inter mediamq; duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ divûm.--

Cæſar 1. belli Gal. Gallia eſt omnis diviſa in "
partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, ali- "
ám Aquitani, tertiam qui ipſorum lingua Cel- "
tæ, noſtra Galli appellantur. "

Diſtributio ex adjunctis] Vulgo vocatur diviſio ſubjecti in accidentia. Hujus generis eſt diviſio illa peccati

in mortale & veniale. Mortale autem peccatum hîc nominatur (ut intelligitur ex antithesi) quod aliás vocatur Irremissibile & peccatũ ad mortem, eó quód mortem certissimam afferat. nam aliás quodvis peccatum mortale dici possit, quatenus sua natura mortem meretur, juxta dictum Pauli Rom. 6, 23. Stipendia peccati, mors. Mortale igitur peccatum dicitur, cui nulla unquam cõtingit venia: Veniale, cui venia contingit. De utroq; vide Matth. 12, vers. 31 & 32.

APPENDIX AD LOCUM DISTRIBUTIONIS.

QUUM ad bene disserendum & hoc pertinere videatur, ut vocabulorum ambiguorum significationes diligenter distinguantur: ne nobis eveniat ut de cepis (quemadmodum in proverbio est) interrogati, de alliis respondeamus: utiliter præcepisse mihi videntur, qui de distinctione nominis πολυσήμου, id est, ambigui, in sua significata admonuerunt. Ut autem διχοτομία constet: sic illud distributionis genus huc assumemus, ut dicamus, distributionem esse aut nominis aut rei. Distributionem rei author persecutus est. Divisionis nominis exempla á quovis observari possunt. quales sunt illæ Theologorum: Libertas alia civilis, alia spiritualis est. Sic, Mors alia corporalis, alia spiritualis est: item, alia temporalis, alia æterna. Sic, cibus alius corporalis, alius spiritualis est.

CAP. 30. DE DEFINITIONE.

Definitio est cúm explicatur quid res sit, ″eaque vicissim definito argui potest. Definitio est perfecta aut imperfecta: illa, proprié definitio: hæc, descriptio dicitur. Definitio perfecta, est definitio cõstans é solis caussis essentiam constituentibus: quales caussæ″ genere & forma comprehenduntur. Atq; hoc modo definitur homo,

homo, animal rationale: nempe genere (animal) intelligimus (ut dictum est) essentiam corpoream plenam vitæ & sensus, quæ materies hominis est, & pars formæ: cum qua si addas (rationale) totam formam hominis comprehendes, vitæ, sensus, rationis facultate. Itaque perfecta definitio nihil aliud est, quám universale symbolum caussarum essentiam rei & naturam cōstituentium. Tales definitiones sunt artium: Grammatica est ars bené loquendi: Rhetorica bené dicendi: Dialectica bené disserendi: Arithmetica bené numerandi: Geometria bené metiendi.

Eaq; vicissim definito argui potest] Quum definitio cum definito sit reciproca, valet argumentatio & á definitione ad definitum, & vicissim á definito ad definitionem: idque tum affirmando, tum negando. Definitionis autem usus ad declarandum quidem plurimus est: ad argumentandum veró ac demonstrandum perrarus. Cicero in Topicis hoc exemplum ponit: Jus civile (ait) est æquitas constituta illis qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas. Ejus autem æquitatis utilis est cognitio. Utilis est igitur juris civilis scientia. *Genere & forma*] Definitio omnis ex duabus constat partibus, genere & differentia. Genus, est prior definitionis pars, quæ de definito prædicatur in quæstione Quid est, sed imperfecté, id est, non reciprocé: ut, Quid est homo? Est animal. Quid est justitia? Est virtus. Differentia, est posterior definitionis pars, quæ generi addita, definitionē cōplet & absolvit: & de definito cum genere conjuncto prædicatur in quæstione Quale est. ut, Quale animal est homo? Rationale. Qualis virtus est justitia? Suum cuiq; tribuens. Vocatur differētia, quia per eam species definita á cæteris specieb. differt, á quibus aliás ratione

generis non differt. Sumitur autem differentia ex variis argumentorum generibus seu locis. Interdum á forma: quæ ut omnium præstantissima, sic rarissima & inventu difficillima est: ut, Homo est animal rationale. Interdum á fine: ut, Musica est ars canendi, Arithmetica est ars numerandi. Similiter definiuntur artes reliquæ. Interdum á subjecto: ut, Febris est calor præter naturam, accensus in corde. Interdum ab adjuncto: ut magnes est lapis trahens ferrum. Homo, est animal risibile: item, capax disciplinæ: item, præditum facultate loquendi: item, incedens erecto corpore. Interdum ab adjunctis pluribus: ut. Ignis est elementum calidum & siccum: aër est elementum calidum & humidum, &c. Relata definiuntur per correlata: ut pater est qui habet liberos: maritus, qui habet uxorem: præceptor, qui discipulum. Relationes definiuntur per utrumque relatum: ut conjugium est mariti & uxoris mutua obligatio ad procreãdum liberos & adjuvandum: Emtio est precii pro merce promissio: Venditio est mercis pro precio promissio: Peccatum est actionis discrepantia á lege.

Porró modi definiendi duo sunt: vel enim definitio conficitur per genus summum & differentias generales ordine contextas uná cum specifica: vel per genus proximum & differẽtiam specificam. Exemplum prioris: Homo est substantia corporea, animata, sentiens, rationalis. Exemplum posterioris: Homo est animal rationale. Hîc perspicitur, per priorem modum qui laboriosior est, veniri ad posteriorem. nam genus summum uná cum differentiis generalibus usque ad specificam, est definitio generis proximi: itaq; pro definitione nomen assumitur, ut prolixa definitio in brevem & succinctam contrahatur. Invenitur autem tum genus proximum, tum differentia ultima, id est, tota definitio, instrumẽto divisionis: incipiendo á genere summo, & ordine progrediendo ad speciem definiendam. Itaq; primó omnium considerandum, in quo-nam ea res quam definire institutis, prædicamento seu summo rerum genere

nere ſit: deinde per diviſionem ordine procedẽdum. ut, Homo in quo prædicamento? Subſtantiæ. Homo enim eſt ſubſtantia quædam. Sed angelus etiam eſt ſubſtantia: quomodo igitur homo ab angelo differt? Divide genus: & reperies. Subſtantia igitur eſt vel corporea, vel incorporea. Angelus incorporea ſubſtantia eſt: at homo corporea. Sed lapis eſt etiam ſubſtantia corporea: quomodo igitur homo á lapide differt? Divide rurſum: & videbis. Subſtantia corporea igitur eſt vel animata, vel inanimata. Lapis inanimatus eſt: at homo animatus. Sed arbores etiã animatæ ſunt: quomodo igitur homo differt ab arboribus? Divide rurſum: Corpus animatũ eſt aut ſentiens, aut nõ ſentiens: Arbores non ſentiunt: homo ſentit. Sed equus etiam ſentit: quomodo igitur homo differt ab equo? Divide rurſum: Ea quæ ſentiunt, id eſt animalia, aut ratione prædita ſunt, aut ratione carẽt. Equus ratione caret: homo autem ratione præditus eſt. Jam quære, ſitne animal aliud præter hominem, ratione præditum, á quo homo diſcernendus ſit. Nullum reperies. Reperiſti igitur hominis definitionẽ, id eſt, orationem qua & declaratur quid homo ſit, & quomodo á cæteris rebus omnibus differat. Sic proponatur ad definiendum juſtitia. Juſtitia in quo prædicamento? Qualitatis. Juſtitia enim eſt qualitas quædam. Sed color etiam eſt qualitas. Verum: ſed paſſibilis: juſtitia autem eſt habitus. At ars equitandi etiam eſt habitus. Verum: ſed hęrens in corpore: juſtitia autem in anima. At ſapientia etiam hæret in anima. Verum: ſed in intellectu: juſtitia autem in appetitu. At injuſtitia etiam hæret in appetitu. Verum: ſed eſt vitium: juſtitia autem eſt virtus. At fortitudo etiam eſt virtus. Verum: ſed circa eas res quæ terrorem nobis incutiunt: juſtitia autem circa eas quæ alteri tribuendę ſunt. Eſtne ulla alia virtus quæ circa haſce res verſetur? Nulla. Differt igitur juſtitia hoc objecto á cæteris virtutibus omnibus: ac proinde inveniſti juſtitiæ definitionem, quód juſtitia ſit virtus ſuum cuique tribuens.

CAP. 31. DE DESCRIPTIONE.

Deſcriptio eſt definitio ex aliis etiam argumentis rẽ definiens:ut,Homo eſt animal mortale,capax diſciplinę. Hîc cum aliqua cauſſa miſcetur communis,itemq; propria circumſtantia. Atq; hæc ſuccincta brevitas non eſt in hac ſpecie perpetua, ſed ſæpe illuſtriorem & magnificentiorem explicationem deſiderat. Sic
» gloria deſcribitur in Miloniana:Sed tamen ex
» omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ra-
» tio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium,
» gloriam: hanc unam,quæ brevitatem vitæ,po-
» ſteritatis memoria conſolaretur, quæ efficeret
» ut abſentes adeſſemus, mortui viveremus: hãc
» denique eſſe, cujus gradibus etiam homines in
» cælum videantur aſcendere.Sic 4.Æneid.fama
deſcribitur:

Extempló Libyæ magnas it fama per urbes,
Fama malum, quo non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, vireſq; acquirit eundo:
Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturq; ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira irritata Deorum
Extremam (ut perhibent) Cœo Enceladoq; ſororem
Progenuit: pedibus celerẽ, & pernicibus alis:
Monſtrum horrendum, ingens, cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidẽ ora ſonãt, tot ſubrigit aures:

Nocte

Nocte volat cæli medio, terræq́, per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno:
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes:
Tam ficti pravíq́, tenax, quàm nuntia veri.

Tales sunt descriptiones plantarum, animalium, in Physicis: item fluminum, montium, urbium, in Geographis & historicis.

Nihil in hoc capite video quod vel illustrationis vel castigationis indigeat. Itaque tantùm aliquot exempla descriptionum annotabo é sacris literis. Exod. 34, vers. 6 & 7. describitur Deus partim ab adjũctis, partim ab effectis. Jehova Jehova, Deus fortis, misericors & gratiosus: longanimis, & multus benignitate ac fide: custodiens benignitatem millibus: condonans iniquitatem & defectionẽ & peccatum: qui ullo pacto non absolvit sontem: visitans iniquitatem patrum in filios & in filios filiorum, in nepotes & abnepotes. Sic Psal. 15. describitur vir pius ex effectis: Qui ambulat integré, exercetque justitiam: ac loquitur veritatem, prout est in animo suo. Non obtrectat lingua sua, non afficit proximum suum malo: & opprobrium non infert in propinquum suum. In cujus oculis contemtus est reprobus, timentes veró Jehovæ honorat: Juratus in damnum suum non tamen mutat. Pecuniam suam non exponit fœnori, & munus pro innocente non accipit. Sic Proverb. ult. describitur industria seu strenua materfamiliâs, ex effectis plurimis, partim etiam ex adjunctis. Fœminam strenuam quis inveniet, quũ longé superet carbunculos pretium ejus? Confidit ei animus mariti ejus, & spolia non deficiunt. Afficit eum bono, non autem malo, omnibus dieb. vitæ suæ. Quærit lanam aut lina, cõficitq; pro voluntate manuum suarum. Est similis navibus negotiatoriis: é longinquo advehit cibum suum. Et surgẽs dum adhuc nox est, dat escam domui suæ, & pensum puellis suis. Cogi-

tat agrum, & accipit eum: de fructu manuum suarum plantat vineam. Accingit robore lumbos suos, & confirmat brachia sua. Ipsius gustantis, bonum esse mercimonium suum, non extinguitur noctu lucerna. Manus suas immittit ad verticulũ, & manus ejus tenent fusum. Volam suam pandit pauperi, & manus suas extendit egenti. Non timet familiæ suæ á nive: nam tota familia ipsius vestitur penulis duplicibus. Cadurca parat sibi: xylinum & purpureum, est vestimentum ipsius. Notus est in portis maritus ejus, cõsidens cum senioribus regionis. Sindonem conficit ac vendit, & cingulum quod tradit negotiatori. Robur & decor est vestitus ejus, & ridet ad tempora sequentia. Os suum aperit sapienter, & doctrina benignitatis insidet linguæ ejus. Speculatur rationes familiæ suæ, cibumque pigritiæ non comedit. Assurgentes filii ejus, beatam prædicant eam: maritus ejus similiter laudat eam, dicens, Multæ fœminæ fecerunt strenué: tu veró superas omnes illas.

CAP. 32. DE TESTIMONIO *divino*.

″Exposito artificiali argumento, sequitur inartificiale. Argumentum inartificiale est, quod non sua natura, ″sed assumta artificialis alicujus argumenti vi arguit. Itaque cúm exquisita rerũ veritas subtilius exquiritur, ″perexiguam vim probationis habet: ″In civilibus autem & humanis rebus plerumque hoc argumentum præcipuam fidem é moribus arguentis efficit, ″si prudentia, virtus, & benevolentia adfuerint. Id uno nomine testimonium dicitur: ″estque divinum vel humanum.

num. In divinis teſtimoniis numerantur non ſolúm″Deorum oracula, ſed etiam″reſponſa vatum & fatidicorum: quæ omnia 3. Catilin. adhibentur.

″Nam ut illa omittam (ait Orator) viſas nocturno tempore ab occidente faces, ardoremque cæli; ut fulminum jactus, ut terræ motus, cæteraque, quæ ita multa nobis Conſulibus facta ſunt, ut hæc, quæ nunc fiunt, canere Dii immortales viderentur. Deinde pauló póſt, Quo quidem tempore, cúm Aruſpices ex tota Hetruria conveniſſent; cædes atque incendia, & legum interitum, & bellum civile ac domeſticum, & totius urbis ac imperii occaſum appropinquare dixerunt, niſi Dii immortales omni ratione placati, ſuo numine propé fata illa flexiſſent.

Tandem cúm dixiſſet ut ex Aruſpicum reſponſis ludi facti, & Jovis ſignum majus factum converſumque ad orientem, tum ait: Illud veró, nonne ita præſens eſt, ut nutu Jovis optimi maximi factum eſſe videatur? ut cúm hodierno mané per forum meo juſſu & conjurati & eorum indices in ædem Concordiæ ducerentur, eo ipſo tempore ſignum ſtatueretur, quo collocato atque ad vos Senatumque converſo, omnia & Senatus & vos (quæ erant contra ſalutem omnium cogitata) illuſtrata & patefacta vidiſtis. Brevius eſt illud Tibulli,

Quód si vera canunt sacris oracula templis,
Hæc illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi conjugium" promittit Delius ipse
Felix, ac alium desine velle virum.

Cap. 33. DE TESTIMONIO HUMANO *legis & sententiæ.*

"Testimonium humanum, est cómune aut proprium: commune, ut lex & illustris sententia: legis autem & non scriptæ & scriptæ testi-
» monium est pro Milone. Est enim (judices) nó
» scripta, sed nata lex: quam non didicimus, acce-
» pimus, legimus: verúm ex natura ipsa arripui-
» mus, hausimus, expressimus: ad quam non do-
» cti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus: ut
» si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in te-
» la, aut latronum, aut inimicorum incidisset;
» omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.
» Et ibidem, Quód si duodecim tabulæ noctur-
», num furem quoquo modo, diurnum autem si
», se telo defenderit, interfici impuné voluerunt;
», quis est, qui quoquo modo quis interfectus sit,
», puniendum putet, cúm videat aliquando gla-
», dium nobis ad occidendum hominem, ab ipsis porrigi legibus? Sententiæ illustris sunt Proverbia: ut, Pares cum paribus facillimé congregantur. Spartam nactus es, hanc exorna. Sunt item dicta sapientum, Nosce teipsum. Ne quid nimis. Sponde, præsto est detrimentum. Proprium testimonium est, ut Platonis illud, 1.

ad Quintum Fratrem: Atque ille quidem prin- «
ceps ingenii & doctrinæ Plato, tum deniq; fo- «
re beatas Respublicas putavit, si aut docti & sa- «
pientes homines eas regere cœpissent; aut qui «
regerent, omne suum studium in doctrina ac «
sapientia collocassent. Talia sunt in poëtis. 6. «
Æneid.

Discite justitiam, moniti: & ne temnite divos.

Sic Homerico illo versu:

(Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας.

Ajax autem ex Salamine duxit duodecim naves.)

Megarenses victi sunt ab Atheniensibus. Virorum testimonia sunt, nõ tantúm cúm quæritur de fundo aut cęde & ejusmodi negotio aliquo; sed etiã obligationis, confessionis, jurisjurãdi testimonia sunt. Obligationis exemplũ est 5. Phil. Audebo etiam obligare fidem meã "
(P.C.) vobis populoque Romano; quod pro- "
fectó, cúm me nulla vis cogeret, facere non "
auderem, pertimescerémque in re maximé "
periculosa opinionem temeritatis: promitto, "
recipio, spondeo, (P.C.) Cæsarem talem sem- "
per fore civem, qualis hodie sit, qualemque e- "
um maximé velle & optare debemus. Pignus "
autem obligatio quædam est, ut apud Virgil. Eclog. 3.

Vis ergo inter nos quid possit uterq;, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forté recuses,

Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.

Confessio, est libera vel expressa torméntis, quæ proprié quæstio dicitur. Tale fuit argumẽtũ contra Milonẽ, quod á Cicerone deridetur.
» Age veró, quæ erat aut qualis quæstio? Heus,
» ubi Ruscio? ubi Casca? Clodi⁹ insidias fecit Mi-
» loni? Fecit. Certa crux. Nullas fecit. Sperata li-
» bertas. Huc etiam referri poteſt argumentũ, quo utimur, cúm affirmationis noſtræ approbationem experientiam proponimus. 4. Ver.
„ Ecquis Volcatio, si ſua ſponte veniſſet, unam li-
„ bellam dediſſet? Veniat nunc, experiatur: tecto
„ recipiet nemo. Ter. Eunuch.

—Fac periculum in literis,
Fac in palæſtra, fac in muſicis; quæ liberum
Scire æquum eſt adoleſcentem, ſolertem dabo.

3. Triſt.

Quod magis ut liqueat, neve hoc ego fingere credar:
Ipſe velim pœnas experiare meas.

Jusjurandum etiam teſtimonium eſt: quale eſt 6. Æneid.

Per ſuperos, & ſi qua fides tellure ſub ima eſt,
Invitus, regina, tuo de littore ceſſi.

Reciprocatio hîc obſcurior eſt, ut quia teſtatum verum ſit, teſtis ſit etiam verax.

Expoſito artificiali] Suprá in caput 2. admonuimus: diviſionẽ hanc argumenti, commodioribus verbis á Cicerone nobis videri traditam: qui in Partitionibus oratoriis

toriis argumentum dividit in infitum & affumtum: Hactenus igitur de infitis: fequitur de affumtis: quod genus argumentorum uno nomine teftimonium dicitur.

Nos hunc locum pauló accuratiús perfequemur: eó quód maximus illius in facra Theologia ufus fit. Theologi enim eft, quicquid docet, teftimoniis divinis facrarum literarum confirmare. Et ficut ille Juris confultus ajebat, Erubefcimus fine lege loqui: fic meritó Theologus erubefcat fine Scriptura loqui. Teftimonium igitur eft argumentum extrinfecus ad quæftionis conjunctæ veritatem demonftrandam affumtum. Ex qua definitione perfpicitur: teftimonii ufum non effe ut cæterorũ argumentorum, duplicem: videlicet partim ad declarandum quæftionem fimplicem, partim ad demonftrãdum quæftionem conjunctam: fed unicum hunc pofteriorem ufum in teftimonio locum habere. Teftimoniis enim nihil aliud agimus, quám ut veritatem dictorum confirmemus.

Porró teftimonium quatuor modis dividi poteft: nimirum ab efficiente, á forma, á fubjectis, & ab adjunctis. Primúm igitur á cauffa efficiẽte, id eft, ab iis qui teftantur, teftimoniũ aut divinum eft, aut humanum. Divinũ, quod Deum authorem habet. Eftque aut veré divinum, aut quafi divinum. Veré divinum, quod verum Deum authorem habet: eftque vel immediatum, vel mediatum. Immediatum, quo Deus hominibus non per alios homines, fed modo aliquo fingulari & inufitato, aliquid teftatur. Quales modi narrantur in facris literis varii: ut apparitiones Dei, factę primis hominibus, quarum forma non indicatur, fed tãtúm narratur, Deũ cum iis colloquutum effe: ut cum Adamo, Heva, Caino, Noacho, &c. Item apparitiones angelorũ: quales factæ funt Abrahamo, Jacobo & aliis. Itẽ fomnia θεόπεμπτα καὶ μαντικά, id eft, divinitus immiffa & vaticiniũ continẽtia: qualia fuerũt Jofephi, Pharaonis & aliorũ. Item vifiones feu vifa, ὁράματα: qualia objecta funt ꝓphetis, Efaię, Jere-

miæ, Ezechieli, Danieli & aliis. Item χρηματισμὸς, divinum responsum seu oraculum: quale accepisse legitur Elias, Rom. 11,4. Magi, Matth. 2,12. Symeon, Luc 2,6. Item Urim & Thummim, per quæ respondit Deus consulentibus magistratibus in aggrediendis negotiis arduis, ut bellis: vide Exod. 28,30. & 1. Sam. 28,6. Item sortes: per quas Deus testatur aut facti latentis atque occulti veritatem; aut suam de re facienda voluntatem, suúmve de re judicium. Prioris generis fuit sors qua patefactum est furtum Achanis, Jos. 7. item qua patefacta est fuga Jonæ. Posterioris generis fuit sors qua Matthias electus est in Apostolũ, Act. 1. Mediatum testimoniũ veré divinum, est quo Deus per suos servos, immediaté á se vocatos, voluntatem suam aliis hominibus patefacit. Cujusmodi sunt quæ Deus per Prophetas & Apostolos Ecclesiæ patefecit: idque tum viva voce, tum scripto. Sic Noe jussu Dei testatus est fore diluvium. Huc pertinent scripta Prophetica & Apostolica, seu libri Prophetarum & Apostolorum. Et quidem Propheticorum testimoniorum divinitatem testatur Petrus, 2. Pet. 1. circa „ finem, Et habemus, inquit, firmissimum sermonẽ pro- „ pheticum: cui recté facitis quód attendatis, velut lucer- „ næ splendenti in obscuro loco, usque dũ dies illucescat, „ & lucifer exoriatur in cordibus vestris. Si illud primúm „ noveritis, nullam prophetiam Scripturæ esse propriæ „ explicationis. Non enim libidine hominis allata est o- „ lim prophetia: sed acti á Spiritu sancto, loquuti sunt san- „ cti Dei homines. Et Paulus 2. Tim. 3,16. Tota scriptura, inquit, divinitus est inspirata. Hinc est, quód Apostoli, atq; etiam Christus ipse, Prophetarum testimoniis frequenter usi sunt. Atque hoc testimonii genus præcipuũ in Ecclesia usum habet. Hoc enim firmissimum, idque unicum argumentum est quo doctrinæ Christianæ capita seu fidei Christianæ articuli confirmantur. Atque hæc de testimonio veré divino. Testimonium quasi divinum, est quod fictitiũ aliquem Deum authorem habet, vel potiús ipsum diabolũ: aut vero Deo falsó affingitur.

tur. Hujus generis ſunt ethnicorum oracula:ut oracula Apollinis, Delphicum, Dodonæum.item aliæ id genus ſuperſtitiones : ut augurium, aruſpicina,ſimileſque divinationes ſuperſtitioſæ & teſtimonio divino damnatę. Levit.19.Atque hęc de teſtimonio divino. Humanum teſtimonium eſt quod hominem authorem habet:eſtq; aut prudens aut temerarium. Prudens,quod cum ratione & judicio conjunctum eſt : & eſt aut liberum aut expreſſum. Liberum teſtimonium eſt,quod quis cum judicio, nulla vi coactus,nulla ſpe illectus,nullaque temeritate impulſus profert. Expreſſum teſtimonium eſt, quod quis cũ judicio quidem, ſed aut ſenſu doloris adactus, aut metu incommodorum impulſus, aut commodorum ſpe illectus profert: ut ſunt confeſſiones eorum qui in tormentis,quum quæſtio de ipſis habetur,aliquid confitentur:item quæ homines confitentur motí minis aut promiſſis. Temerariũ teſtimonium eſt quod quis ſine judicio aut conſilio, naturæ quodam impulſu profert:ut ſunt ea quę dicuntur á perturbatis,á fatuis,ab ebriis,á dormientibus, á parvis pueris.Atque hæc prima teſtimonii diviſio eſt.

Secundó á forma,teſtimonium omne aut verbis cõtinetur aut factis. Verba autem quibus teſtimonium continetur, aut pronunciata ſunt aut ſcripta. Deus primis mundi tèmporibus loquutus eſt cum ſanctis hominibus, loquendoque teſtatus de ſua erga ipſos omneſq; pios voluntate:quę verba poſtea literis(quas inde ſacras dicimùs)mãdata ſunt. Ad ſcripta teſtimonia etiam pertinent leges humanæ, ſenatus conſulta, magiſtratuum edicta, ſyngraphæ, apochæ : item libri philoſophorum, oratorum,poëtarum,hiſtoricorum.Ad teſtimonia quæ factis continentur,pertinent hæc exempla.Actor.14,17. ait Paulus ad Lyſtrenſes : Quanquam non paſſus eſt "
(Deus) ſe eſſe expertem teſtimonii, nobis benefaciẽdo: "
dans nobis cælitus pluvias ac tempora fructifera, im- "
plens cibo & lætitia corda noſtra. Roman.1,18.Palàm "
eſt ira Dei é cælo adverſus omnẽ impietatem & injuſti- "

» tiam hominum, qui veritatem injusté detinent: quoniã
» id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in i-
» psis: Deus enim eis manifestum fecit: Ipsius enim invisi-
» bilia, dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione
» mundi perspiciuntur, æterna videlicet ejus tum poten-
» tia tum divinitas: ad hoc ut sint ipsi inexcusabiles. Huc pertinent pœnę divinæ quibus inde ab initio mundi genus humanum propter scelera afflictum fuit: ut diluviũ, excidium Sodomiticum, excidium Hierosolymorum, &c. Illis enim pœnis Deus suũ adversus peccata odium testatum hominibus facere voluit. Huc pertinent & ethnicorum auguria, aliæque superstitiosæ divinationes: persuaserunt enim sibi superstitiosi homines, Deum suam de rebus gerendis voluntatem, aut gestorum memoriam, aut eventurorum præsensionem testari certis factis quę vani homines confinxerant: ut per avium volatum, garritum aut pastum, similesque nugas. Hinc illud Virg. Eclog. 1. *Sæpe sinistra cava prædixit ab ilice cornix.* Hoc genus testimonii quum irrisisset P. Claudi[9], divinitus ideo punitus esse à Cicerone traditur lib. 2. de
» Nat. deor. Nihil nos, inquit Lucilius, P. Claudii bello Pu-
» nico primo temeritas movebit? qui etiam per jocũ deos
» irridẽs, quum cavea liberati pulli non pascerentur: mer-
» gi eos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollẽt.
» Qui risus classe devicta multas ipsi lachrymas, magnam
» populo Rom. cladẽ attulit. Hęc Cicero. Hujus loci sunt & gestus. Etsi enim gestus ad locũ effectorũ referri possunt, quatenus ab iis arguitur animi affectio: tamen quũ gestibus quasi loquantur homines: (certé prout diversa loquuntur ac sentiunt, aut saltem sentire videri volunt, diversos etiam gestus adhibent) non incommodé etiam hîc eis locus datur. Sic vultus iracundus testatur animum iratum, vultus blãdus animum benevolũ. Nec vultus iracundus semper animi irati, aut blandus benevoli effectum est: quum ira & benevolentia aliique animi affectus sæpe vultu simulentur: ita ut hujusmodi testimonia in hominibus fallacia sunt. unde illud apud

Cic. 1. de legib. Oculi nimis arguti, quemadmodũ animo affecti simus, loquuntur.

Virgil.

Virgil. de Ænea lib. 4. Æne. Spem vultu simulat, premit altum corde dolorē. Hujus loci sunt etiam ritus & ceremoniæ. Sic donatione annuli in sponsalibus testatur sponsus, se suā obligare sponsæ fidem: & sponsa illius acceptione testatur, se quoq; suā fidē obligare spōso. unde is annulus vocatur Germanis *Trawring*, quasi dicas fidei annulus: id est, testās de fide á sponso & sponsa ultro citroq; data. Sic datur & fides porrectione manꝰ: (quod Germani vocant, *die Handtrew*) id est, fit promissio, q̃ testatur de voluntate promittentis. Sic traditione glebæ traditur alicujus agri proprietas seu dominiū: hoc est, is qui glebam alteri tradit, hoc ipso ritu seu ceremonia testatur suam de suo agro voluntatem, quód scilicet eum alteri tradere & relinquere velit, ut is posthac illius dominus sit. Sic erectione trium digitorum fit jusjurandū. Sic porrectione seu potiús elevatione manuum ferebāt veteres Græci suffragia; id est, testabantur suā de aliquo in magistratum eligendo voluntatē: qui ritus inde Græcis χειροτονία dictus est, id est manuum extensio seu (ut Cicero vocat) porrectio. Apud Romanos veró duobus aliis modis suffragia ferebant, videlicet viva voce aut tabellis in quibus suam sententiam scribebant: quem utrumque modum Cicero notat Agrar. 2. Sic Apostoli ministros Ecclesiæ ordinabant manuum impositione: imponentes nimirū manus eorum capitibus, eaque ceremonia testantes, se eum quem initiabant, offerre Deo in ministerium: sicut olim in V.T. offerebātur ad sacrificium & consecrabantur á sacerdotibus pecudes anté quám mactarentur. Huc tota lex Mosis ceremonialis pertinet: Illis enim ceremoniis, præcipué sacrificiis & sacramētis, Deus suā erga populum voluntatem & suum de vero sui cultu judicium atque sentētiam testatus est: populus autem vicissim suam in Dei promissiones fidem, suamque erga ejus mandata obedientiam eisdem ceremoniis testatus est. Huc pertinent & sacramenta novi testamenti. Huc etiam reduci possunt ex ipsæ res quæ in ceremoniis ad testandum adhibentur: ut pi-

gnora, ut ipse annulus sponsalitius, ut nummus quem heræ ancillis dant quum eas conducunt: qui nummus vocatur *Gottspfenning*, quasi dicas Dei nummus, quasi Deus testis invocatus sit quum daretur. Atque hæc de testimoniis quæ facto constant: de quibus & hoc observandum, raró ea nuda reperiri, sed plerunque cum verbis conjũcta. Sic Zeno manu demonstrare solebat, quid inter Dialecticam & Rhetoricam interesset. Nam quũ compresserat digitos, pugnumque fecerat: Dialecticam ajebat ejusmodi esse. Quum autem diduxerat, & manũ dilataverat: palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat. Cic. in Oratore. Ita Lycurgus Lacedæmoniorum legislator facto demonstravit, quantã esse vim judicaret educationis puerorum. Duos enim canes eádem matre natos, sed quorum alter ad venatum, alter ad delicias educatus fuerat, in medium forum produxit: & lepore atque olla carnium plena illis proposita, utrumq; é vinculis dimisit: ubi evestigio alter in ollam insiliit, alter veró leporem insectatus est. Ibi tum Lycurgus orationem de vi educationis puerilis ad populum habuit. Plutarch. de puerorum educat. Hæc utriusque testimonii conjũctio in vaticiniis prophetarũ frequentissima fuit. Actor. 21, 11. Agabus sumsit zonam Pauli, & vinctis sibi pedibus ac manibus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus, Virum cujus est hæc zona, ita vincient in Hierusalem Judæi, tradentque in manus gentium. Ejusmodi vaticinia plurima extant in Jeremia, non pauca in Ezechiele, nõnulla etiã in reliquis prophetis. Eadẽ cõjũctio est in Sacramẽtis: Sacramẽta enim promissioni Evangelii annexa sunt & appensa, tanquam sigillũ literis. Atque hęc de secũda testimonii divisione satis dicta sint: quam ideo á forma sumtam dicimus: quia is qui testatur, quatenus testatur, vel dicit vel facit quidpiam: atque ita dicendo vel agendo testatur.

Tertia divisio sumitur ab objectis seu occupantibus subjectis: qua ratione testimonium aut promissio est, aut confessio. Promissio (sub qua continetur & comminatio)

natio) est testimonium de testantis volũtate. Hujus generis sunt Evangelium & Sacramenta. Confessio, est testimonium de testantis mente: & est aut judicii, aut memoriæ. Confessio judicii, est qua quis indicat suum de re judicium. Cõfessio memoriæ, est qua quis exponit quod se vidisse, audivisse, alióve sensu percepisse meminit. unde testes alii oculati, alii auriti nominantur. Notum est enim illud é Plauti Truculento, Pluris est oculatus testis unus, quám auriti decem. Sub confessione judicii continẽtur leges, proverbia, dicta sapientum, apophthegmata prudentum, placita philosophorum, præceptiones seu regulæ artium: item supplicia martyrum. Sub confessione memoriæ continentur omnia testimonia de facto aut re alia sensu percepta. Hujus igitur generis sunt testimonia Apostolorum de Christi dictis, factis, afflictionibus. Atque hæc tertia testimonii divisio est.

Quarta & postrema sumitur ab adjuncto quodam, nempe á circumstantia jurisjurandi. Testimoniũ enim aut est cum jurejurando, aut sine jurejurando. Jurisjurandi exempla extant, Genes. 9. & 22. Esa. 54. Ezech. 16 & 33. Hebr. 6.

Atque hæ testimonii divisiones sunt: restat ut consideremus, quam singula in argumentando vim atq; authoritatem habeant. Tradimus igitur hæc axiomata. I. Quicquid Deus testatur, id verum esse necesse est. nam testimonii divini indubitata & irrefragabilis est authoritas. Deus enim est ἀψευδής, qui mentiri ac fallere non potest, quippe quum sit ipsa veritas. Itaque hoc principium principiorum est & axioma summum. Hãc testimonii divini authoritatem exaggerat & cõmendat Apostolus Hebr. 6, vers. 17 & 18. Hæc autẽ omnia de Deo vero & testimonio veré divino intelligẽda sunt. nam dii qui apud ethnicos oracula ediderunt, non fuerũt dii, sed diaboli. Unde oracula ista erant λοξὰ καὶ ἀμφοτερίζοντα, obliqua (id est, flexiloqua) & quæ quis in utramque partem interpretari possit. Cujusmodi est illud, Aio, te Æacida Romanos vincere posse. hîc enim dubium est,

Æacidés ne Romanos, an Romani Æacidē vincere possint. Tale est & illud Crœso responsum, Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς, μεγάλην δύναμιν καταλύσει: id est, Crœsus Halyn penetrans, magnam dissolvet opum vim. hîc enim dubium est, hostiúmne an suam ipsius potentiam Crœsus dissoluturus sit.

II. Quod homo testatur, quatenus homo, præsertim si testetur de rebus divinis & ad hominis salutem æternam pertinentibus, id propterea verum esse necesse nō est: quia omnis homo mendax. Quare non sequitur, si de doctrina Christiana quæstio sit; Augustinus aut Cyprianus aut alius patrum hoc dixit: Ergo verum est. Potuerunt enim illi, quum homines fuerint, nec immediaté á Deo ad docēdum vocati, errare. Dixi autem in axiomate, *Quatenus homo*, propter eos qui testantur nō ut homines, id est ex seipsis; sed ut servi Dei, immediaté á Deo ad testandum vocati. Hinc prophetę in vaticinia & conciones suas sic præfantur, Verbum Domini factum est ad me. Itē, Sic dicit Dominus. Deinde dixi, *Non propterea*, id est propter testimonium hominis: quia propter aliam caussam potest esse necessarió verum, nempe propter testimonium divinum. Observandum est autē hoc axioma contra Pontificios, qui subinde argumenta ducūt ab authoritate sanctorum patrum, id est scriptorum Ecclesiasticorum qui sacras literas interpretati sunt & commentarios de doctrina Christiana scripserunt: ut fuerunt Tertullian⁹, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Cyprianus, Irenæus, Cyrillus, Chrysostom⁹, &c. Sic hodie multi si non verbis & expressé, certé re ipsa & in animo suo argumentantur ab authoritate Lutheri in controversia de cœna Domini. Sed hîc dicta Cypriani & Augustini atque Hieronymi, contra hominum in Ecclesiæ doctrina authoritatem observanda sunt. Sic olim Pythagoræi argumentabantur ab authoritate præceptoris sui Pythagoræ: qua de re Cicero lib. 1. de Nat.
" deor. sic scribit: Non tā, inquit, authores in disputando, q̄
" rationis momēta quærenda sunt. quin etiam obest plerunque

runque iis qui discere volunt, authoritas eorũ qui se do- «
cere profitentur. desinunt enim suum judicium adhibe- «
re: id habent ratum quod ab eo quem probant, judicatũ «
vident. Nec veró probare soleo id, quod de Pythagorẹis «
accepimus: quos ferunt, si quid affirmarent in disputan- «
do, quum ex eis quæreretur, quare ita esset, respondere «
solitos, Ipse dixit. *Ipse* autem, erat Pythagoras. Tantũ «
opinio prẹjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret «
authoritas. Hæc Cicero. Rectiús Pythagorẹis Horatius in arte poët. quum ait: *Nullius assuetus jurare in verba magistri.*

III. Quod vir bonus de re sensu percepta testatur, maximé veró quod homo pius: id verum esse probabile est.

IIII. Quod homo malus ac impius, maximé si futilis sit, de re sensu percepta testatur: id verum esse probabile non est.

V. Quod se judicare testantur aut omnes homines, aut plerique, aut sapientes, aut experti: id in rebus quidẽ humanis ac naturalibus, ita se habere probabile est. Atq; sic feré Aristoteles τὸ ἔνδοξον, id est probabile, definit lib. 1. Top. cap. 1. Hinc & illud, Artifici in sua arte credendũ. Hinc Plato conductores sacræ aræ, modum & formam ejus, secum sermone cõferre conatos, ad Euclidem Geometram ire jussit: ait Valer. Max. lib. 8. cap. 13. Sic Q. Scævola Jurisconsultus quotiescunque de jure prætorio consulebatur: ad Furium & Cassellium, quia huic scientiæ dediti erant, consultores rejiciebat: ait idem ibid. Sic Apelles pictor nobilissimus quum á sutore reprehẽsus esset, quód in crepidis Veneris una intus pauciores fecisset ansas, vitium illud emendavit. Sed quum postero die idem ille sutor superbé ob emẽdationem pristinẹ admonitionis cavillaretur circa crus: indignatus Apelles prospexit (post tabulam enim latens auscultabat) denunciavitque, ne supra crepidam sutor judicaret. quod & ipsum in proverbium venit. Plin. lib. 35, cap. 10. Et Valerius Max. paucis attingit loco allegato. Huic simillimum est quod refert (teste Erasmo in adagio, Ne sutor

ultra crepidam) Athenæus. Stratonicus citharœdus fabro ſecum de muſica contendenti, Non ſentis, inquit, te ultra malleum loqui? Eodem pertinet quod Plinii nepos in epiſtolis ſcripſit: de artificio non rectè judicare quenquam, niſi & ipſum artificem: quodque primo Ethicorū libro dixit Ariſtoteles; earum rerum unumquemq; judicem eſſe idoneum quarum ſit eruditus: & quod idem ſcripſit lib. 2. phyſicor. cæcum diſputare de coloribus. Quę verba etiam in proverbiū abierūt, quoties quiſpiā de rebus ignotis diſputat. Ad eandem ſententiam referendum, quod ait Fabius pictor apud Quintilianum: felices futuras artes, ſi ſoli artifices de iis judicarent. Hæc Eraſmus loco citato.

V I. Quod quis aut vi coactus, aut minis impulſus, aut promiſſis illectus teſtatur, id verum eſſe probabile non eſt.

VII. Quod teſtantur pueri & ebrii & fatui, probabile eſt: Hinc proverbium Germanicum, *Kind, narren, Vnd Volle leut, ſagen gern die VVarheit.* Et de ebriis dicitur proverbio Latino, In vino veritas. item, Quod cogitat ſobrius, loquitur ebrius. Cum quo conſentit illud Horatii, de ebrietate inter alia dicentis, Operta recludit.
» Et Cicero in Topicis ait: Pueritia, ſomnus, imprudentia,
» vinolentia, inſania, ejus generis ſunt ex quibus ſæpiſſime
» verum auditur.

Atq; hæc noſtra de teſtimonii loco ſententia eſt: deinceps annotemus quæ ad textum illuſtrandum aut etiam caſtigandum pertinent. *Sed aſſumta*] Videtur author alludere ad appellationem Ciceronis, qui quæ ab Ariſtotele ἄτεχνα, id eſt inartificialia, argumenta dicta ſunt, aſſumta nominat. Verùm Cicero nō ideo aſſumta vocat, quód vim alicujus artificialis argumenti aſſumāt: ſed quód ipſa extrinſecus ad quæſtionem explicandam aſſumantur, nō autem ex ipſa quæſtione eruantur: ſicut inſita. *Perexiguam vim probationis habet*] Hoc non eſt verum καθόλου, id eſt, de omni teſtimonio. nam teſtimonium veré divinum, probationis vim habet maximam.

ximam. *In civilibus*] Ut in caussis judicialibus & forensibus, quum quæstio est de facto, an scilicet reus hoc vel illud fecerit aut dixerit. Item in deliberationibus & consiliis, quum quæritur, quid agendum sit. *Si prudentia, virtus, benevolentia*] Hæc distinguenda sunt. nam quum quæstio est de facto, spectatur proprié virtus seu probitas atque integritas: prudentiæ non admodũ ratio habetur: benevolentia autem etiam testimonii authoritatem minuit, si de scelere amici aut ejus cui bene cupis, testimonium dicere debeas. In consiliis veró spectatur tum prudentia, tum benevolentia. Quid autem in testimonio spectatur, si quæstio sit de rerum natura? Tũ spectatur testantis ingenium & eruditio. Hinc Cicero Platonem philosophorum deum vocat: item divinum. *Estque divinum vel hum.*] Divisio sumta est é caussis efficientibus. nam divinum appellatur quod Deum: humanum quod hominem authorem habet. *Deorum oracula*] Apud Christianos autem Dei veri oracula, in sacris literis descripta. Oraculum est ore Dei pronunciata vox. *Responsa vatum*] Christianorum vates prophetæ appellantur Græco nomine, quód futura prædicant: ab inusitato verbo πρόφημι, prædíco. Similiter apud Latinos Vates dictus videtur quasi Fates, á fando. Fatidicus autem, qui fata & decreta deorum interpretatur. *Nam ut illa omittam*] Conjurationem Catilinæ testimoniis divinis detectam fuisse ait: quorum tria genera exponit, primúm ostenta meteora, deinde responsa aruspicum, postremó nescio quam divinam patefactionem post collocatum Jovis simulachrum. *Promittit Delius*] Notatur testimonii species, promissio: ei opposita est confessio: ut suprá explicavimus. *Testimonium hum. est tum lex*] Hoc non est καθόλȣ πρῶτον: nam eædem testimonii species in testimonium quoque divinum cadunt. Sunt enim divinæ leges, in sacris literis, præcipué á Mose descriptæ: sunt & divinæ illustres sententiæ, ut Proverbia Salomonis: similiter sunt divinæ cujusdam facti testationes; ut miracula: quæ ideo in

Scripturis ſigna appellantur, quód teſtimonia divina ſint veritatis doctrinæ eorum per quorum manum eduntur.

FINIS.

IN P. RAMI DIALECTICES LIBRVM SECVNDVM QVI EST DE JUDICIO,

ANIMADVERSIONES JOAN. Piſcatoris Argentinenſis.

CAP. I. QVID JUDICIUM.

ADhuc prima Dialecticæ artis pars fuit, in Inventione: pars altera ſequitur, in Judicio. Judicium, eſt ſecunda pars Logicæ de diſponendis argumentis ad bene judicandum: certa enim diſpoſitionis regulâ unumquodque judicatur: unde hæc pars Logicæ, & judicium & diſpoſitio pro eodem dicitur.

De diſponendis argumentis] Quid argumenti vocabulo intelligat author, vide lib. 1, cap. 2. Non enim intelligit ut vulgó, ſolas probationes, id eſt rationes quatenus adhibentur ad probandum & fidem faciendum rei dubiæ: ſed in genere quaſvis Logicas rerum inter ſe

com-

comparationes; ſeu potius res aut notiones ipſas, quatenus altera cum altera logicé comparatur: ut cauſſa cum effecto,& viciſſim: ſubjectum cum adjuncto,& viciſſim:ſic diſſentanea inter ſe,comparata inter ſe,&c. *Et judicium & diſpoſitio*] Diſpoſitio, proprié: judicium, per metonymiam effecti: quia judicium ex diſpoſitione naſcitur.

CAP. 2. DE AXIOMATIS AFFIRmatione ac negatione.

Judicium, eſt″ axiomaticum vel dianoëticum. Axioma eſt diſpoſitio″ argumenti cum argumento,″ qua eſſe aliquid aut non eſſe judicatur.″ Latiné enunciatum,enunciatio,pronunciatum,pronunciatio,effatum dicitur. Axioma, eſt″ affirmatum aut negatum: affirmatum,quando″ vinculum ejus affirmatur:negatum, quando negatur. ″Hinc naſcitur″ axiomatum contradictio, quando″ idem axioma affirmatur & negatur.

Axiomaticum] Id eſt,enunciati. Sic autem appellavit,quia enunciatum á Græcis Dialecticis, Cicerone teſte, nominatum fuit ἀξίωμα, id eſt, poſtulatum. nam ἀξιοῦν poſtulare ſignificat. Unde miror,Ciceronem hoc nomen Latiné reddidiſſe Enunciatum,enunciationem, pronunciatum,pronunciationem, effatum: quum nullum horum vocabulorum vim Græci nominis ἀξίωμα exprimat: ſed potiús nominis ἀπόφανσις, quo Ariſtoteles ad rem propoſitam ſignificandam utitur. Niſi fortaſſe ἀξίωμα potiús tanquam á nomine ἄξιος, id eſt dignus, deductum, híc accipiendum ſit: quomodo accepiſſe apparet D. Sturmium,qui pronunciatum honorarium vertit. *Partit. Dialect. li. 3, c. 3.*

Et certé Euclides in suis Elementis inter ἀξιώματα & αἰτήματα distinguit: quorum hæc Latini postulata, illa veró nomine Græco retento axiomata nominare solét. Quæ significatio si admittitur, tum vocem axiomatis per synecdochen speciei hîc usurpari fatendũ erit: quippe quód proprié non quamvis affirmationem aut negationem significet, sed talem quæ propter illustrem veritatem digna sit cui fides habeatur. Dianoëticum veró judicium vocavit: quia διάνοιαν Aristoteles vocat, rationis discursum quo illa unum ex altero deducit, aut unum alteri cõvenienter annectit: quorum illud in syllogismo, hoc autem in methodo facit. *Argumenti cum arg.*] καταχρηστικῶς loquitur: pro, res cum re, vel notio cum notione, vel vocabulum cum vocabulo: vel (ut vulgó cum Aristotele loquuntur) terminus cum termino. *Qua esse*] Non tantúm Esse, ut quando verbum substantivum est κατηγορούμενον: sed etiam, Hoc esse illud, vel tale: ut quando verbum substantivum est copula. Itaque malim definitionem authoris pristinam, Enuntiatum est dispositio qua argumentum de argumẽto enuntiatur: id est, affirmatur aut negatur. *Latiné enuntiatum*] Appellationes hæ omnes Ciceronis sunt: Aristoteles ἀπόφανσιν vocat & πρότασιν: vulgus in scholis, propositionem. Sed propositionem noster author specialiter nominat primum enuntiatum syllogismi, quod vulgo propositio major dicitur. *Affirmatum aut*] Hæc prima est enuntiati divisio, á forma: Enũtiatum omne, aut affirmans aut negans est. Vulgó dicunt; Propositio omnis, aut affirmativa aut negativa est. *Affirmatum*] Malim appellare affirmans, item negans: quia ipsum enuntiatum non affirmatur, nec negatur: sed aut affirmat, aut negat: affirmatur autem & negatur enuntiati consequens de antecedente, aut cum eo: de eo, in enuntiato simplici: cum eo, in composito. *Vinculum*] Quod in enuntiato quidem simplici est verbum substãtivum: in composito veró conjunctio Grammatica. Estq; enũtiati velut forma: pars autem antecedens & pars consequens,

quens, instar materiæ sunt. Non autem semper exprimitur vinculum in simplici enuntiato, sed sæpé latet in verbo: ut, Ignis urit, hoc est, Ignis est quiddam urens. *Hinc*] Nempe ex affirmationis & negationis oppositione; quum altera alteri opponitur. *Axiomatum*] Hoc dicit respiciens ad contradictionem argumẽtorum, de qua lib. 1. cap. 16. Quanquam revera contradictio non nisi axiomatum seu enuntiatorum est. nam quæ contradicentia appellantur libro primo, ea tum demũ contradicere alterum alteri intelliguntur, quando utrumq; de re eadem affirmatur: ut, Homo est animal, Homo est non animal. hæc duo axiomata sibi mutuo contradicunt, quoniam in iis de una eademque re affirmantur contradicentia. Nec differt illud genus contradictionis ab eo de quo hîc agitur, nisi forma loquẽdi: quod enim illic affirmatur ἐκ μεταθέσεως, per transpositionem adverbii negandi: ut, Homo est non animal: id hîc simpliciter & plané negatur: ut, Homo non est animal. *Idem axioma*] Id est, ejusdem axiomatis consequens de ipsius antecedẽte: ut, Corpus Christi est ubique, Corpus Christi non est ubique. item, Si corpus Christi hypostaticé unitum est deitati, est ubique: Non si corpus Christi hypostaticé unitum est deitati, idcirco ubique est. Consentit definitio Aristotelis De interp. cap. 4. ubi ait, καὶ ἔστω τοῦτο ἀντίφασις, κατάφασις καὶ ἀπόφασις αἱ ἀντικείμεναι. id est, Et esto hoc cõtradictio, affirmatio & negatio op- «
positæ, hoc est, quarum altera alteri est opposita. «

CAP. 3. DE VERO ET FALSO.

"Axioma deinde est verum aut falsum: verum, quando pronuntiat uti res est: falsum, cõtrá. Axioma verum, est" contingens aut necessarium. Contingens, quando sic verum est, ut aliquando falsum esse possit: ut,

Audentes fortuna juvat.--

Fac enim, id eſſe hodie verum: cras falſum eſſe poterit: itaque veritatis hujus contingentis judicium, opinio dicitur: ″quæ præteritorum & præſentium homini certa eſſe poteſt, ″futurorum per naturam non admodum poteſt, quamvis Deo tempora omnia præſentia ſint. Itaque Martialis Priſcum meritó cavillatur:

Sæpe rogare ſoles, qualis ſim, Priſce, futurus,
Si fiam locuples, ſimq; repenté potens.
Quenquam poſſe putas mores narrare futuros?
Dic mihi, ſi fias tu leo, qualis eris?

Neceſſarium, quando ſemper verũ eſt, nec falſum poteſt eſſe: & illud affirmatum appellatur κατὰ παντὸς, ″de omni. Impoſſibile cõtra, quod de nullo unquam verum eſſe poteſt. Axiomata artium ſic κατὰ παντὸς eſſe debent, ſed præterea homogenea & catholica. ″Axioma homogeneum eſt, ″quando partes ſunt eſſentiales inter ſe: ″ut forma formato, ſubjectum proprio adjuncto, genus ſpeciei. Id appellatur καθ' αὑτὸ, per ſe. Axioma ″catholicum eſt, quando conſequens ſemper verum eſt de antecedente, non ſolúm omni & per ſe, ſed etiam reciprocé: ut, homo eſt animal rationale: numerus eſt par vel impar: lupus eſt natus ad ululandum. id appellatur ″καθόλου πρῶτον, ″univerſaliter primum. Tres hæ ſunt ″leges documentorum artis propriorum: prima κατὰ παντὸς lex veritatis: ſecunda καθ' αὑτὸ lex juſtitiæ: tertia καθόλου πρῶτον lex ſapientiæ

pientiæ

pientiæ dicatur. Atque ejusmodi axiomatum ita catholicorum judicium verissima & prima scientia est.

Axioma deinde] Hæc secunda enunciati divisio, ab adjunctis sumta est, iisque propriis. Soli enim enunciationi, id est, affirmationi aut negationi, propriè inest veritas aut falsitas. *Contingens aut*] Hæc divisio non est reciproca: quia convenit etiam enunciato falso. Est igitur generalis divisio enunciati; non autem specialis, enunciati veri. Contingens verum, est quod sic verum est, ut aliquando falsum esse possit: Contingens falsum, quod sic falsum est, ut aliquando verum esse possit. Necessarium verum, est quod semper verum, nunquam falsum est: Necessarium falsum, quod semper falsum est, nunquam verum. Hoc postremum speciali vocabulo nominatur impossibile: ejus veró oppositum, appellatur vocabulo generali necessarium. *Quæ præteritorum*] Opinio omnis, quatenus opinio, incerta est: opinari enim dicitur, qui non certó scit, sed dubitat. *Futurorum per natur.*] Hinc illud in scholis tritum, Futurorum contingentium non est determinata veritas. ubi notandum, omnia futura à Deo certó sciri: ab hominibus autem ea tantúm quæ à Deo prædicta sunt. Ideo ait author, Per naturam. quasi dicat: At per patefactionem divinam, futurorum certa scientia est. Hinc Jobus, Scio, inquit, me hac pelle mea iterum circumdatum iri, & visurum Deum oculis meis, me inquam & non alium. *De omni*] At hoc ipsum quod hîc author affirmat de necessario enunciato, non videtur verum de omni: sed tantúm de generali seu universali: ut, Omne animal sentit. De speciali autem, sive infinito, sive proprio, non videtur verum: ut, Quoddam animal est rationale, Socrates est homo. Verúm hæc quoque videntur admittere appellationem κατὰ παντὸς: si & infinitum certa specie definiatur, & individuum ex adjunctis dividatur: ut, Quoddam animal (nempe homo)

» tiam hominum, qui veritatem injusté detinent: quoniã
» id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in i-
» psis: Deus enim eis manifestum fecit: Ipsius enim invisi-
» bilia, dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione
» mundi perspiciuntur, æterna videlicet ejus tum poten-
» tia tum divinitas: ad hoc ut sint ipsi inexcusabiles. Huc pertinent pœnę divinæ: quibus inde ab initio mundi genus humanum propter scelera afflictum fuit: ut diluviũ, excidium Sodomiticum, excidium Hierosolymorum, &c. Illis enim pœnis Deus suũ adversus peccata odium testatum hominibus facere voluit. Huc pertinent & ethnicorum auguria aliæque superstitiosæ divinationes: persuaserunt enim sibi superstitiosi homines, Deum suam de rebus gerendis voluntatem, aut gestorum memoriam, aut eventurorum præsensionem testari certis factis quę vani homines confinxerant: ut per avium volatum, garritum aut pastum, similesque nugas. Hinc illud Virg. Eclog. 1. *Sæpe sinistra cava prædixit ab ilice cornix.* Hoc genus testimonii quum irrisisset P. Claudi⁹, divinitus ideo punitus esse à Cicerone traditur lib. 2. de
» Nat. deor. Nihil nos, inquit Lucilius, P. Claudii bello Pu-
» nico primo temeritas movebit? qui etiam per jocũ deos
» irridẽs, quum cavea liberati pulli non pascerentur: mer-
» gi eos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollẽt.
» Qui risus classe devicta multas ipsi lachrymas, magnam
» populo Rom. cladẽ attulit. Hęc Cicero. Hujus loci sunt & gestus. Etsi enim gestus ad locũ effectorũ referri possunt, quatenus ab iis arguitur animi affectio: tamen quũ gestibus quasi loquantur homines: (certé prout diversa loquuntur ac sentiunt, aut saltem sentire videri volunt, diversos etiam gestus adhibent) non incommodé etiam hîc eis locus datur. Sic vultus iracundus testatur animum iratum, vultus blãdus animum benevolũ. Nec vultus iracundus semper animi irati, aut blandus benevoli effectum est: quum ira & benevolentia aliique animi affectus sæpe vultu simulentur: ita ut hujusmodi testimonia in hominibus fallacia sunt. unde illud apud Virgil.

Cic. 1. de legib. Oculi nimis arguti, quemadmodũ animo affecti sumus, loquuntur.

Virgil. de Ænea lib. 4. Æne. Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorẽ. Hujus loci ſunt etiam ritus & ceremoniæ. Sic donatione annuli in ſponſalibus teſtatur ſponſus, ſe ſuã obligare ſponſæ fidem: & ſponſa illius acceptione teſtatur, ſe quoq; ſuã fidẽ obligare ſpõſo. unde is annulus vocatur Germanis *Traw ring*, quaſi dicas fidei annulus: id eſt, teſtãs de fide á ſponſo & ſponſa ultro citroq; data. Sic datur & fides porrectione man⁹: (quod Germani vocant, *die Handtrew*) id eſt, fit promiſſio, q̃ teſtatur de voluntate promittentis. Sic traditione glebæ traditur alicujus agri proprietas ſeu dominiũ: hoc eſt, is qui glebam alteri tradit, hoc ipſo ritu ſeu ceremonia teſtatur ſuam de ſuo agro voluntatem, quód ſcilicet eum alteri tradere & relinquere velit, ut is poſthac illius dominus ſit. Sic erectione trium digitorum fit jusjurandũ. Sic porrectione ſeu potiús elevatione manuum ferebãt veteres Græci ſuffragia; id eſt, teſtabantur ſuã de aliquo in magiſtratum eligendo voluntatẽ: qui ritus inde Græcis χειροτονία dictus eſt, id eſt manuum extenſio ſeu (ut Cicero vocat) porrectio. Apud Romanos veró duobus aliis modis ſuffragia ferebant, videlicet viva voce aut tabellis in quibus ſuam ſententiam ſcribebant: quem utrumque modum Cicero notat Agrar. 2. Sic Apoſtoli miniſtros Eccleſiæ ordinabant manuum impoſitione: imponentes nimirũ manus eorum capitibus, eaque ceremonia teſtantes, ſe eum quem initiabant, offerre Deo in miniſterium: ſicut olim in V.T. offerebãtur ad ſacrificium & conſecrabantur á ſacerdotibus pecudes anté quám mactarentur. Huc tota lex Moſis ceremonialis pertinet: Illis enim ceremoniis, præcipué ſacrificiis & ſacramẽtis, Deus ſuã erga populum voluntatem & ſuum de vero ſui cultu judicium atque ſentẽtiam teſtatus eſt: populus autem viciſſim ſuam in Dei promiſſiones fidem, ſuamque erga ejus mandata obedientiam eiſdem ceremoniis teſtatus eſt. Huc pertinent & ſacramenta novi teſtamenti. Huc etiam reduci poſſunt cæ ipſæ res quæ in ceremoniis ad teſtandum adhibentur: ut pi-

gnora, ut ipse annulus sponsalitius, ut nummus quem heræ ancillis dant quum eas conducunt: qui nummus vocatur *Gottspfenning*, quasi dicas Dei nummus, quasi Deus testis invocatus sit quum daretur. Atque hæc de testimoniis quæ facto constant: de quibus & hoc observandum, raró ea nuda reperiri, sed plerunque cum verbis conjūcta. Sic Zeno manu demonstrare solebat, quid inter Dialecticam & Rhetoricam interesset. Nam quū compresserat digitos, pugnumque fecerat: Dialecticam ajebat ejusmodi esse. Quum autem diduxerat, & manū dilataverat: palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat. Cic. in Oratore. Ita Lycurgus Lacedæmoniorum legislator facto demonstravit, quantā esse vim judicaret educationis puerorum. Duos enim canes eádem matre natos, sed quorum alter ad venatum, alter ad delicias educatus fuerat, in medium forum produxit: & lepore atque olla carnium plena illis proposita, utrumq; é vinculis dimisit: ubi evestigio alter in ollam insiliit, alter veró leporem insectatus est. Ibi tum Lycurgus orationem de vi educationis puerilis ad populum habuit. Plutarch. de puerorum educat. Hæc utriusque testimonii conjūctio in vaticiniis prophetarū frequentissima fuit. Actor. 21,11. Agabus sumsit zonam Pauli, & vinctis sibi pedibus ac manibus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus, Virum cujus est hæc zona, ita vincient in Hierusalem Judæi, tradentque in manus gentium. Ejusmodi vaticinia plurima extant in Jeremia, non pauca in Ezechiele, nōnulla etiā in reliquis prophetis. Eadē cōjūctio est in Sacramētis: Sacramēta enim promissioni Evangelii annexa sunt & appensa, tanquam sigillū literis. Atque hęc de secūda testimonii divisione satis dicta sint: quam ideo á forma sumtam dicimus: quia is qui testatur, quatenus testatur, vel dicit vel facit quidpiam: atque ita dicendo vel agendo testatur.

Tertia divisio sumitur ab objectis seu occupantibus subjectis: qua ratione testimonium aut promissio est, aut confessio. Promissio (sub qua continetur & comminatio)

natio) est testimonium de testantis volũtate. Hujus generis sunt Evangelium & Sacramenta. Confessio, est testimonium de testantis mente: & est aut judicii, aut memoriæ. Confessio judicii, est qua quis indicat suum de re judicium. Cõfessio memoriæ, est qua quis exponit quod se vidisse, audivisse, alióve sensu percepisse meminit. unde testes alii oculati, alii auriti nominantur. Notum est enim illud é Plauti Truculento, Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem. Sub confessione judicii continẽtur leges, proverbia, dicta sapientum, apophthegmata prudentum, placita philosophorum, præceptiones seu regulæ artium: item supplicia martyrum. Sub confessione memoriæ continentur omnia testimonia de facto aut re alia sensu percepta. Hujus igitur generis sunt testimonia Apostolorum de Christi dictis, factis, afflictionibus. Atque hæc tertia testimonii divisio est.

Quarta & postrema sumitur ab adjuncto quodam, nempe á circumstantia jurisjurandi. Testimoniũ enim aut est cum jurejurando, aut sine jurejurando. Jurisjurandi exempla extant, Genes.9. & 22. Esa.54. Ezech.16 & 33. Hebr.6.

Atque hæ testimonii divisiones sunt: restat ut consideremus, quam singula in argumentando vim atq; authoritatem habeant. Tradimus igitur hæc axiomata. I. Quicquid Deus testatur, id verum esse necesse est. nam testimonii divini indubitata & irrefragabilis est authoritas. Deus enim est ἀψευδὴς, qui mentiri ac fallere non potest, quippe quum sit ipsa veritas. Itaque hoc principium principiorum est & axioma summum. Hãc testimonii divini authoritatem exaggerat & cõmendat Apostolus Hebr.6, vers.17 & 18. Hæc autẽ omnia de Deo vero & testimonio veré divino intelligẽda sunt. nam dii qui apud ethnicos oracula ediderunt, non fuerũt dii, sed diaboli. Unde oracula ista erant λοξὰ καὶ ἐπαμφοτερίζοντα, obliqua (id est, flexiloqua) & quæ quis in utramque partem interpretari possit. Cujusmodi est illud, Aio, te Æacida Romanos vincere posse. hîc enim dubium est,

Æacidés ne Romanos, an Romani Æacidē vincere possint. Tale est & illud Crœso responsum, Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς, μεγάλην δύναμιν καταλύσει: id est, Crœsus Halyn penetrans, magnam dissolvet opum vim. hîc enim dubium est, hostiúmne an suam ipsius potentiam Crœsus dissoluturus sit.

II. Quod homo testatur, quatenus homo, præsertim si testetur de rebus divinis & ad hominis salutem æternam pertinentibus, id propterea verum esse necesse nō est: quia omnis homo mendax. Quare non sequitur, si de doctrina Christiana quæstio sit; Augustinus aut Cyprianus aut alius patrum hoc dixit: Ergo verum est. Potuerunt enim illi, quum homines fuerint, nec immediaté á Deo ad docēdum vocati, errare. Dixi autem in axiomate, *Quatenus homo*, propter eos qui testantur nō ut homines, id est ex seipsis; sed ut servi Dei, immediaté á Deo ad testandum vocati. Hinc prophetę in vaticinia & conciones suas sic præfantur, Verbum Domini factum est ad me. Itē, Sic dicit Dominus. Deinde dixi, *Non propterea*, id est propter testimonium hominis: quia propter aliam caussam potest esse necessarió verum, nempe propter testimonium divinum. Observandum est autē hoc axioma contra Pontificios, qui subinde argumenta ducūt ab authoritate sanctorum patrum, id est scriptorum Ecclesiasticorum qui sacras literas interpretati sunt & commentarios de doctrina Christiana scripserunt: ut fuerunt Tertullian⁹, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Cyprianus, Irenæus, Cyrillus, Chrysostom⁹, &c. Sic hodie multi si non verbis & expressé, certé re ipsâ & in animo suo argumentantur ab authoritate Lutheri in controversia de cœna Domini. Sed hîc dicta Cypriani & Augustini atque Hieronymi, contra hominum in Ecclesiæ doctrina authoritatem observanda sunt. Sic olim Pythagoræi argumentabantur ab authoritate præceptoris sui Pythagoræ: qua de re Cicero lib. 1. de Nat. „ deor. sic scribit: Non tā, inquit, authores in disputando, q̄ „ rationis momēta quærenda sunt. quin etiam obest plerunque

runque

runque iis qui discere volunt, authoritas eorũ qui se do- «
cere profitentur.desinunt enim suum judicium adhibe- «
re:id habent ratum quod ab eo quem probant, judicatũ «
vident.Nec veró probare soleo id, quod de Pythagoręis «
accepimus: quos ferunt,si quid affirmarent in disputan- «
do, quum ex eis quæreretur, quare ita esset, respondere «
solitos,Ipse dixit. *Ipse* autem, erat Pythagoras. Tantũ «
opinio pręjudicata poterat,ut etiam sine ratione valeret «
authoritas. Hæc Cicero. Rectiús Pythagoręis Horatius
in arte poët.quum ait: *Nullius assuetus jurare in Verba magistri.*

III. Quod vir bonus de re sensu percepta testatur,maximé veró quod homo pius:id verum esse probabile est.

IIII. Quod homo malus ac impius, maxime si futilis sit,de re sensu percepta testatur:id verum esse probabile non est.

V. Quod se judicare testantur aut omnes homines, aut plerique, aut sapientes,aut experti:id in rebus quidẽ humanis ac naturalibus,ita se habere probabile est.Atq; sic feré Aristoteles τὸ ἔνδοξον, id est probabile,definit lib. 1.Top. cap.1.Hinc & illud, Artifici in sua arte credendũ, Hinc Plato conductores sacræ aræ, modum & formam ejus,secum sermone cõferre conatos, ad Euclidem Geometram ire jussit: ait Valer. Max. lib.8. cap. 13. Sic Q. Scævola Jurisconsultus quotiescunque de jure prætorio consulebatur:ad Furium & Cassellium, quia huic scientiæ dediti erant, consultores rejiciebat: ait idem ibid. Sic Apelles pictor nobilissimus quum á sutore reprehẽsus esset, quód in crepidis Veneris una intus pauciores fecisset ansas,vitium illud emendavit. Sed quum postero die idem ille sutor superbé ob emẽdationem pristinę admonitionis cavillaretur circa crus: indignatus Apelles prospexit(post tabulam enim latens auscultabat)denunciavitque, ne supra crepidam sutor judicaret. quod & ipsum in proverbium venit. Plin.lib.35,cap.10.Et Valerius Max. paucis attingit loco allegato. Huic simillimum est quod refert (teste Erasmo in adagio, Ne sutor

ultra crepidam) Athenæus. Stratonicus citharœdus fabro secum de musica contendenti, Non sentis, inquit, te ultra malleum loqui? Eodem pertinet quod Plinii nepos in epistolis scripsit: de artificio non rectè judicare quenquam, nisi & ipsum artificem: quodque primo Ethicorũ libro dixit Aristoteles; earum rerum unumquemq; judicem esse idoneum quarum sit eruditus: & quod idem scripsit lib. 2. physicor. cæcum disputare de coloribus. Quę verba etiam in proverbiũ abierũt, quoties quispiã de rebus ignotis disputat. Ad eandem sententiam referendum, quod ait Fabius pictor apud Quintilianum: felices futuras artes, si soli artifices de iis judicarent. Hæc Erasmus loco citato.

VI. Quod quis aut vi coactus, aut minis impulsus, aut promissis illectus testatur, id verum esse probabile non est.

VII. Quod testantur pueri & ebrii & fatui, probabile est: Hinc proverbium Germanicum, *Kind, narren, vnd volle leut, sagen gern die warheit.* Et de ebriis dicitur proverbio Latino, In vino veritas. item, Quod cogitat sobrius, loquitur ebrius. Cum quo consentit illud Horatii, de ebrietate inter alia dicentis, Operta recludit.
» Et Cicero in Topicis ait: Pueritia, somnus, imprudentia,
» vinolentia, insania, ejus generis sunt ex quibus sæpissime
» verum auditur.

Atq; hæc nostra de testimonii loco sententia est: deinceps annotemus quæ ad textum illustrandum aut etiam castigandum pertinent. *Sed assumta*] Videtur author alludere ad appellationem Ciceronis, qui quæ ab Aristotele ἄτεχνα, id est inartificialia, argumenta dicta sunt, assumta nominat. Verùm Cicero nõ ideo assumta vocat, quód vim alicujus artificialis argumenti assumãt: sed quód ipsa extrinsecus ad quæstionem explicandam assumantur, nõ autem ex ipsa quæstione eruantur: sicut insita. *Perexiguam vim probationis habet*] Hoc non est verum κατὰ παντὸς, id est, de omni testimonio. nam testimonium veré divinum, probationis vim habet maximam.

ximam. *In civilibus*] Ut in caussis judicialibus & forensibus, quum quæstio est de facto, an scilicet reus hoc vel illud fecerit aut dixerit. Item in deliberationibus & consiliis, quum quæritur, quid agendum sit. *Si prudentia, virtus, benevolentia*] Hæc distinguenda sunt. nam quum quæstio est de facto, spectatur proprié virtus seu probitas atque integritas: prudentiæ non admodũ ratio habetur: benevolentia autem etiam testimonii authoritatem minuit, si de scelere amici aut ejus cui bene cupis, testimonium dicere debeas. In consiliis veró spectatur tum prudentia, tum benevolentia. Quid autem in testimonio spectatur, si quæstio sit de rerum natura? Tũ spectatur testantis ingenium & eruditio. Hinc Cicero Platonem philosophorum deum vocat: item divinum. *Estque divinum vel hum.*] Divisio sumta est é caussis efficientibus. nam divinum appellatur quod Deum: humanum quod hominem authorem habet. *Deorum oracula*] Apud Christianos autem Dei veri oracula, in sacris literis descripta. Oraculum est ore Dei pronunciata vox. *Responsa vatum*] Christianorum vates prophetæ appellantur Græco nomine, quód futura prædicant: ab inusitato verbo πρόφημι, prædico. Similiter apud Latinos Vates dictus videtur quasi Fates, á fando. Fatidicus autem, qui fata & decreta deorum interpretatur. *Nam ut illa omittam*] Conjurationem Catilinæ testimoniis divinis detectam fuisse ait: quorum tria genera exponit, primúm ostenta meteora, deinde responsa aruspicum, postremó nescio quam divinam patefactionem post collocatum Jovis simulachrum. *Promittit Delius*] Notatur testimonii species, promissio: ei opposita est confessio: ut suprá explicavimus. *Testimonium hum. est tum lex*] Hoc non est καθόλυ πρῶτον: nam eædem testimonii species in testimonium quoque divinum cadunt. Sunt enim divinæ leges, in sacris literis, præcipué á Mose descriptæ: sunt & divinæ illustres sententiæ, ut Proverbia Salomonis: similiter sunt divinæ cujusdam facti testationes; ut miracula: quæ ideo in

Scripturis signa appellantur, quód testimonia divina sint veritatis doctrinæ eorum per quorum manum eduntur.

FINIS.

IN P. RAMI DIALECTICES LIBRUM SECUNDUM QUI EST DE JUDICIO,

ANIMADVERSIONES JOAN. *Piscatoris Argentinensis.*

CAP. I. QUID JUDICIUM.

ADhuc prima Dialecticæ artis pars fuit, in Inventione: pars altera sequitur, in Judicio. Judicium, est secunda pars Logicæ″ de disponendis argumentis ad bene judicandum: certa enim dispositionis regulâ unumquodque judicatur: unde hæc pars Logicæ,″ & judicium & dispositio pro eodem dicitur.

De disponendis argumentis] Quid argumenti vocabulo intelligat author, vide lib.1, cap.2. Non enim intelligit ut vulgó, solas probationes, id est rationes quatenus adhibentur ad probandum & fidem faciendum rei dubiæ: sed in genere quasvis Logicas rerum inter se com-

comparationes; ſeu potius res aut notiones ipſas, quatenus altera cum altera logicé comparatur: ut cauſſa cum effecto,& viciſſim: ſubjectum cum adjuncto,& viciſſim:ſic diſſentanea inter ſe,comparata inter ſe,&c. *Et judicium & diſpoſitio*] Diſpoſitio, proprié: judicium, per metonymiam effecti: quia judicium ex diſpoſitione naſcitur.

CAP. 2. DE AXIOMATIS AFFIRmatione ac negatione.

Judicium, eſt″ axiomaticum vel dianoëticum. Axioma eſt diſpoſitio″ argumenti cum argumento,″ qua eſſe aliquid aut non eſſe judicatur.″ Latiné enunciatum,enunciatio,pronunciatum,pronunciatio,effatum dicitur. Axioma, eſt″ affirmatum aut negatum: affirmatum,quando″ vinculum ejus affirmatur:negatum, quando negatur. ″Hinc naſcitur″ axiomatum contradictio, quando″ idem axioma affirmatur & negatur.

Axiomaticum] Id eſt,enunciati. Sic autem appellavit,quia enunciatum á Græcis Dialecticis, Cicerone teſte, nominatum fuit ἀξίωμα, id eſt, poſtulatum. nam ἀξιοῦν poſtulare ſignificat. Unde miror,Ciceronem hoc nomen Latiné reddidiſſe Enunciatum,enunciationem, pronunciatum,pronunciationem, effatum: quum nullum horum vocabulorum vim Græci nominis ἀξίωμα exprimat: ſed potiús nominis ἀπόφανσις, quo Ariſtoteles ad rem propoſitam ſignificandam utitur. Niſi fortaſſe ἀξίωμα potiús tanquam á nomine ἄξιος, id eſt dignus, deductum, híc accipiendum ſit: quomodo accepiſſe apparet D. Sturmium,qui pronunciatum honorarium vertit. *Partit. Dialect. li.3, c.3.*

Et certé Euclides in suis Elementis inter ἀξιώματα & αἰτήματα distinguit: quorum hæc Latini postulata, illa veró nomine Græco retento axiomata nominare solēt. Quæ significatio si admittitur, tum vocem axiomatis per synecdochen speciei hîc usurpari fatendū erit: quippe quód proprié non quamvis affirmationem aut negationem significet, sed talem quæ propter illustrem veritatem digna sit cui fides habeatur. Dianoëticum veró judicium vocavit: quia διάνοιαν Aristoteles vocat, rationis discursum quo illa unum ex altero deducit, aut unum alteri cōvenienter annectit: quorum illud in syllogismo, hoc autem in methodo facit. *Argumenti cum arg.*] καταχρηστικῶς loquitur: pro, res cum re, vel notio cum notione, vel vocabulum cum vocabulo: vel (ut vulgó cum Aristotele loquuntur) terminus cum termino. *Qua esse*] Non tantúm Esse, ut quando verbum substantivum est κατηγορέμενον: sed etiam, Hoc esse illud, vel tale: ut quando verbum substantivum est copula. Itaque malim definitionem authoris pristinam, Enuntiatum est dispositio qua argumentum de argumēto enuntiatur: id est, affirmatur aut negatur. *Latiné enuntiatum*] Appellationes hæ omnes Ciceronis sunt: Aristoteles ἀπόφανσιν vocat & πρότασιν: vulgus in scholis, propositionem. Sed propositionem noster author specialiter nominat primum enuntiatum syllogismi, quod vulgo propositio major dicitur. *Affirmatum aut*] Hæc prima est enuntiati divisio, á forma: Enūtiatum omne, aut affirmans aut negans est. Vulgó dicunt; Propositio omnis, aut affirmativa aut negativa est. *Affirmatum*] Malim appellare affirmans, item negans: quia ipsum enuntiatum non affirmatur, nec negatur: sed aut affirmat, aut negat: affirmatur autem & negatur enuntiati consequens de antecedente, aut cum eo: de eo, in enuntiato simplici: cum eo, in composito. *Vinculum*] Quod in enuntiato quidem simplici est verbum substātivum: in composito veró conjunctio Grammatica. Estq; enūtiati velut forma: pars autem antecedens & pars consequens,

quens, instar materiæ sunt. Non autem semper exprimitur vinculum in simplici enuntiato, sed sæpé latet in verbo: ut, Ignis urit, hoc est, Ignis est quiddam urens. *Hinc*] Nempe ex affirmationis & negationis oppositione; quum altera alteri opponitur. *Axiomatum*] Hoc dicit respiciens ad contradictionem argumẽtorum, de qua lib.1. cap.16. Quanquam revera contradictio non nisi axiomatum seu enuntiatorum est. nam quæ contradicentia appellantur libro primo, ea tum demũ contradicere alterum alteri intelliguntur, quando utrumq; de re eadem affirmatur: ut, Homo est animal, Homo est non animal. hæc duo axiomata sibi mutuo contradicunt, quoniam in iis de una eademque re affirmantur contradicentia. Nec differt illud genus contradictionis ab eo de quo hîc agitur, nisi forma loquẽdi: quod enim illic affirmatur ἐκ μεταθέσεως, per transpositionem adverbii negandi: ut, Homo est non animal: id hîc simpliciter & plané negatur: ut, Homo non est animal. *Idem axioma*] Id est, ejusdem axiomatis consequens de ipsius antecedẽte: ut, Corpus Christi est ubique, Corpus Christi non est ubique. item, Si corpus Christi hypostaticé unitum est deitati, est ubique: Non si corpus Christi hypostaticé unitum est deitati, idcirco ubique est. Consentit definitio Aristotelis De interp. cap.4. ubi ait, καὶ ἔστω τοῦτο ἀντίφασις, κατάφασις καὶ ἀπόφασις αἱ ἀντικείμεναι. id est, Et esto hoc cõtradictio, affirmatio & negatio oppositæ, hoc est, quarum altera alteri est opposita.

CAP. 3. DE VERO ET FALSO.

"Axioma deinde est verum aut falsum: verum, quando pronuntiat uti res est: falsum, cõtrá. Axioma verum, est" contingens aut necessarium. Contingens, quando sic verum est, ut aliquando falsum esse possit: ut,

Audentes fortuna juvat. --

Fac enim, id esse hodie verum: cras falsum esse poterit: itaque veritatis hujus contingentis judicium, opinio dicitur: ″ quæ præteritorum & præsentium homini certa esse potest, ″futurorum per naturam non admodum potest, quamvis Deo tempora omnia præsentia sint. Itaque Martialis Priscum meritó cavillatur:

Sæpe rogare soles, qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simq; repenté potens.
Quenquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Necessarium, quando semper verũ est, nec falsum potest esse: & illud affirmatum appellatur κατὰ παντὸς,″ de omni. Impossibile cõtrá, quod de nullo unquam verum esse potest. Axiomata artium sic κατὰ παντὸς esse debent, sed præterea homogenea & catholica. ″Axioma homogeneum est,″ quando partes sunt essentiales inter se:″ ut forma formato, subjectum proprio adjuncto, genus speciei. Id appellatur καθ' αὑτὸ, per se. Axioma ″catholicum est, quando consequens semper verum est de antecedente, non solúm omni & per se, sed etiam reciprocé: ut, homo est animal rationale: numerus est par vel impar: lupus est natus ad ululandum. id appellatur″ καθόλου πρῶτον,″ universaliter primum. Tres hæ sunt″ leges documentorum artis propriorum: prima κατὰ παντὸς lex veritatis: secunda καθ' αὑτὸ lex justitiæ: tertia καθόλου πρῶτον lex sapientiæ

pientiæ dicatur. Atque ejuſmodi axiomatum ita catholicorum judicium veriſſima & prima ſcientia eſt.

Axioma deinde] Hæc ſecunda enunciati diviſio, ab adjunctis ſumta eſt, iiſque propriis. Soli enim enunciationi, id eſt, affirmationi aut negationi, propriè ineſt veritas aut falſitas. *Contingens aut*] Hæc diviſio non eſt reciproca: quia convenit etiam enunciato falſo. Eſt igitur generalis diviſio enunciati; non autem ſpecialis, enunciati veri. Contingens verum, eſt quod ſic verum eſt, ut aliquando falſum eſſe poſſit: Contingens falſum, quod ſic falſum eſt, ut aliquando verum eſſe poſſit. Neceſſarium verum, eſt quod ſemper verum, nunquam falſum eſt: Neceſſarium falſum, quod ſemper falſum eſt, nunquam verum. Hoc poſtremum ſpeciali vocabulo nominatur impoſſibile: ejus veró oppoſitum, appellatur vocabulo generali neceſſarium. *Quæ præteritorum*] Opinio omnis, quatenus opinio, incerta eſt: opinari enim dicitur, qui non certó ſcit, ſed dubitat. *Futurorum per natur.*] Hinc illud in ſcholis tritum, Futurorum contingentium non eſt determinata veritas. ubi notandum, omnia futura à Deo certó ſciri: ab hominibus autem ea tantúm quæ á Deo prædicta ſunt. Ideo ait author, Per naturam. quaſi dicat: At per patefactionem divinam, futurorum certa ſcientia eſt. Hinc Jobus, Scio, inquit, me hac pelle mea iterum circumdatum iri, & viſurum Deum oculis meis, me inquam & non alium. *De omni*] At hoc ipſum quod hîc author affirmat de neceſſario enunciato, non videtur verum de omni: ſed tantúm de generali ſeu univerſali: ut, Omne animal ſentit. De ſpeciali autem, ſive infinito, ſive proprio, non videtur verum: ut, Quoddam animal eſt rationale, Socrates eſt homo. Verúm hæc quoque videntur admittere appellationem κατὰ παντὸς: ſi & infinitum certa ſpecie definiatur, & individuum ex adjunctis dividatur: ut, Quoddam animal (nempe homo)

est rationale. Socrates(sive disputans, sive cœnans: sive Athenis sit, sive alibi: sive heri, sive hodie, sive cras, &c.) est homo. *Axioma homogeneum*] Attingitur hîc nova enunciati divisio, in homogeneum & heterogeneũ. Quæ vocabula é Græcis ὁμογενὴς & ἑτερογενὴς deflexa, Latinè sonant quasi dicas Congener & Disgener. Homogeneum igitur enunciatum erit, cujus partes inter se consentaneæ sunt: heterogeneum, cujus dissentaneæ. *Quando partes sunt essentiales inter se*] id est, Quando partium altera ad essentiam alterius pertinet. *Ut forma*] ut, Homo est rationalis, Homo est risibilis, Homo est animal. *Catholicum*] Sic appellatur per synecdochen generis: intelligitur enim catholicum primum seu reciprocum. Itaque attingitur & hîc nova enunciati divisio, nempe in catholicum seu reciprocum, & non catholicum seu non reciprocum. Reciprocum enunciatũ est, cujus partes inter se permutantur, seu ultró citroque commeant: ut quando definitio enunciatur de definito, divisio de diviso, proprium adjunctum de subjecto. Singulorum exempla habes in textu. Non reciprocũ, contrá: ut, Homo est animal. καθόλȣ πρῶτον] καθόλȣ quidem appellatur, quia consequens verum est de antecedente toto seu omni, καθ' ὅλȣ ἢ κατὰ παντός: πρῶτον veró, quia consequens de antecedente dicitur πρώτως, id est primó, ita ut de nullo alio dicatur priús. ut, habere tres angulos duobus rectis æquales, dicitur de triangulo primúm: deinde & posteriús de unaquaque specie trianguli. Itaque hoc enunciatum, Æquicrurus habet tres duobus rectis pares, est quidem κατὰ παντὸς, seu καθόλȣ: at non est καθόλȣ πρῶτον, quia consequens non dicitur primó de isto antecedente, sed de alio, videlicet triangulo. Quam meam illorum verborum expositionem, & planam & veram, cuidam nuper in sua in Logicam Aristotelis introductione ad hunc modum reprehendere atque exagitare visum est. Quid audio? inquit. κατὰ παντὸς & καθόλȣ idem sunt & unicus gradus. propositio ista, Æquicrurus habet tres, καθόλȣ est.

καθό-

καθόλυ & καθόλυ πρῶτον duo diversa sunt. tum subjungit: Atqui, ut ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς respondeamus, καθόλυ & πρῶτον, idem prorsus sunt Aristoteli: neque solúm ab Aristotele pro eodẽ sumuntur, sed ab ipso quoq; Ramo: qui omne axioma catholicum, reciprocum esse definit. Quo igitur pacto καθόλυ erit propositio, in qua, Habere tres, de isoscele enunciatur? num prædicatum cum subjecto reciprocatur? Ex quo simul liquet, multũ inter se differre, κατὰ παντὸς & καθόλυ: quum non quicquid κατὰ παντὸς est, καθόλυ sit: ut vel ex ipso Ramo apparet. Per κατὰ παντὸς enim Aristoteles vult, totũ subjectum á prædicato comprehendi: licet prędicatum latiús pateat subjecto: per καθόλυ autẽ, vult etiam universum & totum prædicatum in subjecto esse, & cum subjecto reciprocari: ut perspicuum sit, sicut in κατὰ παντὸς, particula παντὸς, subjectum notatur: sic vocem καθόλυ ad prædicatum pertinere: quod totum & universum vult á subjecto comprehendi. Hæc ille. Quæ quidem quám justam mei reprehensionem, quámq; veram & sibi cõstantem doctrinam contineant, age parumper dispiciamus. Duo autem in verbis meis reprehendit: primúm, quód scripsi, hoc enunciatum (Æquicrurus habet tres duobus rectis pares) esse καθόλυ: deinde, quód κατὰ παντὸς & καθόλυ tanquam idem significantia conjunxi. Primum illud reprehendit hoc syllogismo:

καθόλυ & πρῶτον, idem prorsus sunt Aristoteli: itéq; catholicum & reciprocum, Ramo.

At in proposito enunciato prædicatum cum subjecto non reciprocatur:

Ergo enunciatum istud non est καθόλυ.

Respondeo ad propositionem: Si καθόλυ idem prorsus significat Aristoteli quod πρῶτον: quorsum ergo hoc illi adjungit, neque contentus est appellare vel καθόλυ tantúm, vel πρῶτον tantúm? Sed de hoc pauló póst. Nunc primó omnium placet adversario opponere clariss. virum Jacobum Scheccium præceptorem meum: qui in commentariis suis in Organum, tum alibi, inter καθόλυ

πρώτως & καθόλȣ ἁπλῶς expressé distinguit: tum in primum prior. analyt. καθόλȣ & πρῶτον καθόλȣ tam disertè discriminat, ut si quis verba mea cum illius conferat, me mea inde descripsisse putare possit. tanta est utriusque consensio. nec mirum: quum mihi mea scribenti, doctrina á præceptore accepta in memoriã redierit: quem memineram, inter καθόλȣ prioristicum & posterioristicum (sic enim ille in scholis loquebatur) subinde distinguere. Quare haud pigebit, totũ illum locum huc transscribere. Verba igitur Scheccii loco citato pag. 241. in fine, ac deinceps hæc sunt: Aristoteles libro altero posteriorum analyticorum, simpliciter καθόλȣ & πρῶτον καθόλȣ, sic distinguit: ut illud nimirum non sit cum subjecto reciprocum: hoc veró, sit reciprocum. ut, habere tres angulos duobus rectis æquos, respectu scaleni, καθόλȣ simpliciter dicitur: sed respectu trianguli, πρῶτον καθόλȣ. Quid his verbis ad meam expositionem stabiliendam dici potest clariús? At hîc scilicet proferentur verba Aristotelis: eaque & Scheccio præceptori, & mihi discipulo, tanquam locupletissimi testes opponentur. Etenim Aristoteles ubi de tribus istis necessariarum enunciationũ gradibus agit, inter alia sic dicit: τὸ δὲ καθόλȣ ὑπάρχει τότε, ὅταν ἐκ ἐπὶ τȣ̃ τυχόντος, ἀλλὰ πρώτȣ δείκνυνται. id est, καθόλȣ veró tunc est, quum non de quovis, sed de primo demonstratur. Sic enim legendum esse, tum ex Aristotelis proposito, tum é sequentibus ibi verbis colligo: quũ in meis exemplaribus, id est Basiliensi duplici, legatur mendosé ad hunc modum: τὸ καθόλȣ δὲ ὑπάρχει τότε, ὅταν ἐπὶ τȣ̃ τυχόντος καὶ πρώτȣ δείκνυνται. Apparet autem ex his verbis, καθόλȣ & πρῶτον Aristoteli hic prorsus idem esse: id quod adversarius contendit. Concedo sané: sed ita tamen concedo, ut vicissim ab illo concedi postulem, id quod veré negare non poterit: Aristotelem vocem καθόλȣ, quum sic ea utitur, per synecdochen generis, vel per grammaticam ellipsin vocabuli πρῶτον, usurpare, brevitatis gratiâ: quippe qui mox capite sequente proprié loquens & integra appellatione utens,

lib. 1. post. analyt. ca. 4.

πρῶτον καθόλȣ & καθόλȣ πρῶτον nominat. Quorſum veró hæc duo conjungit, niſi ut vocem καθόλȣ per vocem πρῶτον reſtringat: & ita inter καθόλȣ ſimpliciter dictum & καθόλȣ πρῶτον diſtinguat? quippe quód non omne καθόλȣ, καθόλȣ πρῶτον ſit. meminerat enim, ſe in prioribus analyticis propoſitioni καθόλȣ, propoſitionem τὴν ἐν μέρει, hoc eſt, univerſali particularem oppoſuiſſe. Idem dicendum eſt de voce *Catholicum*, qua hoc loco Ramus, Ariſtotelem imitatus, utitur. Hiſce ita explicatis, concedo jam: enunciatum iſtud de iſoſcele non eſſe καθόλȣ: nempe ſignificatione illa ſynecdochica, qua accipitur pro καθόλȣ πρῶτον: at interim contendo, eſſe καθόλȣ proprié loquendo: quo nimirum ſenſu ego illud hîc καθόλȣ eſſe dixi. *Lib. 1, cap. 2.*

Sed illud quoque obſervandum, mihi falſó ab adverſario affingi, quaſi καθόλȣ & καθόλȣ πρῶτον inter ſeſe tanquam duo diverſa oppoſuiſſem: quum tamen nihil aliud egerim, quám ut rationem iſtius appellationis exponerem quæ ab Ariſtotele accepta hîc traditur, nempe καθόλȣ πρῶτον. Itaque primúm expoſui, cur tertius ille neceſſariæ enunciationis gradus appelletur καθόλȣ: deinde cur vocetur etiam πρῶτον. Non igitur καθόλȣ & καθόλȣ πρῶτον, tãquam diverſos gradus inter ſeſe oppoſui.

Sed videamus nunc reprehenſionem alteram: ea concluditur hoc enthymemate:

Non omne κατὰ παντὸς, eſt etiam καθόλȣ.
Ergo κατὰ παντὸς & καθόλȣ, non ſignificant idem.

Concedo conſequens, intellectum de καθόλȣ πρῶτον: de quo loquitur antecedens. at hoc nõ pugnat cum mea affirmatione, qua vocem καθόλȣ non ſynecdochicé accepi pro καθόλȣ πρῶτον, ſed proprié pro κατὰ παντός. Sed addit ille, Per κατὰ παντὸς Ariſtoteles vult, totum « ſubjectum á prædicato comprehendi: licet prædicatum « latiús pateat ſubjecto. Quid hîc ſibi vult illud *Licet*? « Quaſi veró nõ neceſſe ſit, prædicatum latiús patére ſubjecto, ſi ſubjectum totum á prædicato comprehẽdatur.

quicquid enim comprehenditur, id eo á quo comprehenditur, angustius sit necesse est. Ineptè igitur ac ridiculé cōsentanea discrevit: ut si quis diceret, Licet animal latiús pateat homine: tamē homo ab animali comprehenditur. Sed quæ subjungit, non minús vitiosa sunt,
» immó longè vitiosiora. ait enim: Per καθόλȣ autem vult
» (Aristoteles) etiam universum & totum prædicatum in
» subjecto esse, & cum subjecto reciprocari: ut perspicuū
» sit, sicut in κατὰ παντὸς, particulâ παντὸς subjectum no-
» tatur: sic vocem καθόλȣ ad prædicatum pertinere: quod
» totum & universum vult á subjecto comprehendi. Hîc quot sententiæ, tot errata sunt. Primum erratū est, quód tanquam idem significantia proponit hęc duo enunciata: *Prædicatum totum in subjecto esse*, & *Prædicatum cum subjecto reciprocari*. At, inquam, animal totum est in homine, & tamen cum homine nō reciprocatur. Secundum erratum est, quód ex illa definitione τȣ̃ καθόλȣ deducit ac infert, vocem καθόλȣ ad prædicatum pertinere: sicut voce κατὰ παντὸς notatur subjectum. At, inquam, hoc & falsum est, & ex illo non efficitur. Falsitatem manifesté convincit vocum istarum analogia. Plané enim ut prædicatum dicitur prædicari κατὰ παντὸς, scilicet ὑποκειμένȣ, id est, de subjecto omni: sic etiam idē prædicatum dicitur prædicari καθ' ὅλȣ, sc. ὑποκειμένȣ, id est, de subjecto toto. Inconsequentia veró perspicitur ex eo, quód etsi καθόλȣ concedatur rectè definiri enunciatum cujus prędicatum & totum in subjecto est, & etiam cum subjecto reciprocatur: nō tamen hinc sequitur, vocem καθόλȣ in istius enūciati appellatione pertinere ad prædicatum. Quin pari ratione sequeretur, vocem κατὰ παντὸς similiter ad prędicatum pertinere: quippe quum enunciati κατὰ παντὸς, prædicatum totum in subjecto sit. Tertium erratum, idque omnium gravissimum est, quód dicit Aristotelem velle, in enunciato καθόλȣ (id est καθόλȣ πρῶτον) prædicatum totum & universum á subjecto comprehendi. At primúm falsó hoc Aristoteli attribuitur: deinde sententia ipsa hæc & per se falsa est, &

cum

cum prima illa pugnat. Etenim definivit τὸ καθόλυ, id esse cujus prædicatum cum subjecto reciprocetur: at quæ inter sese reciprocãtur, eorum neutrum ab altero comprehenditur: sunt enim illa æqualia, id est æqué laté patentia: quod autem ab altero comprehẽditur, id illo angustius esse ac minús laté patére oportet. Quare hæc postrema sententia omnium falsissima est. Atq; hæc habui quæ hoc tempore quasi extra propositum, ad meam præsentis loci expositionem ab injusta reprehensione vindicandam huc insererem: quæ quidem studioso lectori non prorsus inutilia fore spero. *Universaliter primum*] Videtur potiús vertendum *Universale primó*: ut καθόλυ vim habeat nominis, πρῶτον autem adverbii, pro πρώτως, primó. Sic enim vocatur enunciatum, cujus consequens de antecedente dicitur non solúm toto seu omni, sed etiam primó seu proximé, ac proinde reciprocé. *Leges*] Aureæ profectó leges: quarum observatione noster author aliquot artes liberales meliús, quám antea quisquam, tradidit. Quid enim quæso ad perfectam artium doctrinã desiderari meritó possit: si omnia quæ in arte traduntur sint vera, & quidem semper vera: deinde, si éadem ad essentiam artis pertineant, non autem aliena & adventitia sint: postremó, si singula artis documenta semel tantúm sint tradita, non multoties iterata: quod fit si sint reciproca; quum scilicet quæ totius generis propria sunt, toti generi simul, non autem singulis speciebus seorsúm tribuuntur: atque ita semel tantúm, non autem sæpius docentur. Utinam veró omnes bonæ artes secundum has leges descriptæ extarent.

CAP. 4. DE AXIOMATE SIMPLICI.

Atq; hæc de communibus axiomatis "affectionibus, species sequuntur. Axioma est "simplex aut compositum. Simplex est, quod "verbi "vincul continetur: "Itaq; affirmato vel "negato verbo, "affirmatur vel negatur: ut, Ignis

urit: Ignis est calidus: Ignis non est aqua: hîc (ignis) est "antecedens: urit," consequens. Atq; hîc prima est inventarũ rerum dispositio, caussæ cum effecto, ut in primo exemplo: subjecti cum adjuncto, ut in secundo: dissentanei cum dissentaneo, ut in tertio: quomodo "argumentũ quodlibet enunciari potest (exceptis "plenis cõparationibus & distributionibus) consentanea quidem "affirmando, dissentanea negãdo.

Axioma simplex, est "generale aut speciale. Generale, "quando commune cõsequens "attribuitur generaliter communi antecedenti. atque hîc "cõtradictio" non semper dividit verum & falsum, sed contingentium utraq; pars falsa potest esse, ut:

Omnis in urbe locus Bajis prælucet amœnis.
Nullus in urbe locus Bajis prælucet amœnis.

Item non cõtingentium: ut, Omne animal est rationale: Nullum animal est rationale.

Axioma speciale est, "quando consequens "non omni antecedenti attribuitur: & hîc cõtradictio "semper dividit verum á falso. Speciale est "particulare aut proprium. Particulare, quando consequens "commune antecedenti "particulariter attribuitur: Huic autem axiomati "generaliter contradicitur:

Aliquid ignoscendum est:
Nihil ignoscendum est.

Aliqua clementia non est laudanda:
Omnis clementia est laudanda.

Axio-

Axioma proprium est, quando consequens antecedenti proprio attribuitur: ut, Fabulla est bella, cujus negatio & contradictio est, Fabulla non est bella.

Affectionibus] Hoc non videtur verum κατὰ παντός: Quum enim quinq; divisiones præcesserint, & sexta sequatur: prima sumta est á forma: secunda, á propriis adjunctis seu affectionibus: reliquę omnes ab adjunctis communibus. Quod ut planiús demonstrari possit, singulas has divisiones ante oculos delineabo.

1	{ Affirmatum / Negatum.	4	{ Homogeneum / Heterogeneum.
2	{ Verum / Falsum.	5	{ Reciprocum / Non-reciprocum.
3	{ Contingens / Necessarium.	6	{ Simplex / Compositum.

Harum enunciati divisionum primam, sumtam esse dico á forma: quia affirmatio & negatio dant enunciato suum esse, seu (ut noster author loquitur) per affirmationem & negationem enunciatum est id quod est, & á cæteris omnibus rebus distinguitur. quippe quicunque aliquid enunciat, is quatenus enunciat, aut affirmat aut negat. Quare affirmatio & negatio, enũciati forma est. Secunda divisio sumta est á propriis adjunctis. Etenim veritas & falsitas, propriæ enunciati qualitates sunt: quæ ex ipsius forma emergunt, adeóque ipsius essentiam sequuntur: (nón minús quám ridendi facultas vim ratiocinandi sequitur in homine) nec ulli præterea rei competunt. Jam ad tertiam divisionem quod attinet: contingentiam & necessitatem qualitates communes esse censeo enunciatorum & rerum tum naturalium, tũ humanarum, tum veró earum alteram etiam divinarum. In rebus enim naturalibus contingere dicitur quod ita évenit, ut etiamsi secus evenisset, nihil tamen propterea contra naturam accidisset: ut si (verbi caussâ) quum heri vesperi cælum rubuerit, hodie mané serenum sit.

Necessarió autem fieri in rebus naturalibus dicitur, quod per naturam fieri aliter non potest: quodque si aliter eveniat, contra naturam evenit: ut quum ignis nō urebat juvenes illos Israëlitas in clibano ardentissimo regis Babylonii. Jam in rebus humanis contingere dicuntur, quæ ita ab homine fiunt, ut etiamsi secus fierēt, nihil tamen contra naturā humanæ voluntatis (quà nihil mutabiliùs est) fieret. Necessarió autem fieri in rebus humanis dicūtur, quæ fiunt ab homine ex vi decreti divini: quo modo Judas Iscariotes necessarió prodidit dominum, ut satisfieret scilicet decreto Dei de redimendis per filii sui mortem electis: quæ tamen Judæ actio, sua natura fuit contingens. Etsi enim Christum nō prodidisset Judas, nihil tamen contra naturam voluntatis humanæ qua Judas erat præditus, actum vel potiús omissum fuisset. Porró in rebus divinis contingentia locum nullum habet: sed sola ibi necessitas est. Deus enim quicquid est, necessarió est: & quicquid agit facítve, necessarió agit & facit: veruntamen voluntate liberrima. Necessitas enim quæ in Deo est, libertatem voluntatis non tollit: & est summa Dei perfectio: qua fit ut Deus non possit non esse bonus: & ut quicquid agit aut facit, non possit non bene agere aut facere. Ex his quæ exposui, intelligitur: cōtingentiam & necessitatem, proprias enunciatorum differentias non esse. Sequitur divisio quarta: cujus differentiæ similiter aliarum quoq; rerum communes sunt. Etenim ὁμογένῆα sive συγγένῆα & ἑτερογένῆα, in rebus fuit antequam homo esset á Deo conditus, ac proinde antequam quicquam de rebus enunciare posset. Verbi caussa, herbæ & arbores & stellæ & aves & pisces & quadrupedes: singula inquam hæc cúm inter se homogenea, tum alia aliis heterogenea fuerunt, antequam primi nostri parentes fuissent á Deo conditi. Jam nec quinta divisio differentias proprias habet. nam reciprocatio ejusq; cōtrarium non enunciatorum propriæ affectiones sunt: sed communes etiam notionibus simplicibus: ut relatis, ut definitioni, ut distributioni, ut pro-

proprio adjuncto, ut denique proprio cuivis. Restat postrema divisio: cujus differentiæ extra enunciatum latissimé se proferunt. Quippe non solúm in Logica inventione argumentum in simplex & comparatum: ac postea in doctrina dispositionis seu judicii, syllogismus in simplicem & compositum dividitur: Verúm etiam in Physicis corpus naturale in simplex & compositum distinguitur; denique differentiæ istæ in pluribus rebus locum habent. Ex his quæ de singulis istis enunciati divisionibus exposui, illud quoq; perspicitur: divisiones has omnes observare legem κατὰ παντὸς & legem καθ' αὑτό: sed duas tantúm primas observare etiam legem καθόλε πρῶτον: reliquarum veró nullam.

Simplex aut] Hactenus quinque enunciati divisiones vidimus: quarum duas author expressé tradit, primã in affirmatum & negatum, alteram in verum & falsum: ad reliquas tres tantúm allusit: tertiam nimirum in cõtingens & necessarium, quartam in homogeneum & heterogeneum, quintam denique in reciprocum & non reciprocum. Sequitur ergo hîc sexta enunciati divisio, authori tamen tertia, in simplex & compositum. Vocatur autem simplex enunciatum, non quód omnis compositionis expers sit: (constat enim é subjecto, & prædicato, & copula) sed respectu enunciati compositi, quod é duobus pluribusve simplicibus enũciatis constat. Quémadmodum in Physicis quatuor elemẽta: ignis, aër, aqua & terra: vocãtur corpora simplicia, respectu mixtorum: quum & ipsa é materia & forma constent. *Verbi*] Nẽpe substãtivi (ut vocatur á Grammaticis) idque interdũ expressi, interdũ intellecti: ut Ignis est calidus: Ignis urit: quod perinde est ac si dicas, Ignis est res urens. *Vinculo*] Vinculũ appellare maluit author, quám copulam: quia copulæ vocabulum angustius videtur, propriumque enuntiati copulati: in quo copulantur plura enũtiata per conjunctionem copulativam: ut, Christus, est & deus & homo. At vinculi nomen generalius videtur, & omnib[9] enunciati generibus accommodatum: In omni enim e-

nunciato duo pluráve quædam inter se devinciuntur: ut in simplici duæ notiones, in composito duæ pluresve sententiæ. *Itaq, affirmato*] Quod fit, quum inter partes enunciati absque negationis nota præposita interponitur: ut, Ignis est calidus. *Negato*] Quod fit, quando ei adverbium negandi præponitur: ut, Ignis non est calidus. Nam si adverbium negandi verbo substantivo non proximé præponatur, sed præponatur vel antecedenti vel consequenti, id est subjecto vel prædicato, tunc ejusmodi enunciatum negatum non est: ut, homo est non lapis: quæ nominatur affirmatio ἐκ μεταθέσεως, ex transpositione, scilicet adverbii negandi. *Affirmatur vel negatur*] Scilicet ipsum axioma seu enunciatum: hoc est, enunciati consequens, quod vulgó prædicatum, & á nonnullis attributum dicitur. *Antecedens*] Vulgo subjectum. Sed noster author Subjecti nomen in doctrina Inventionis retinet, ad significandum argumentum quod adjuncto é regione respondet. *Consequens*] Vulgo prædicatum, item attributum. *Argumentum quodlibet*] καταχρηστικῶς loquitur. *Plenis comparat.*] Nam plenæ comparationes constant ex protasi & apodosi, ac proinde non possunt enunciari nisi enunciato composito copulato: ut,

Tale tuum carmen nobis divine poeta,
Quale sopor fessis in gramine.

Vide infrá cap. 5. Distributiones veró non possunt enunciari nisi enunciato composito disjuncto: ut, Omnis enunciatio aut vera est aut falsa: vide infrá cap. 8. Ait autem *Plenis*: quia nihil vetat quó minús comparata enuncientur simpliciter, h. e. per enunciatum simplex: si modó protasis & apodosis comparationis non distinguantur. Exempla vide lib. 1, cap. 18, 19, 20, 21, 22. *Affirmando*] Nam si contrá fiat, enunciata falsa nascuntur. *Generale aut*] Divisionem hanc admitto: sed alio sensu quám ipsius membra definitionibus authoris hîc declarata sunt. Quum enim hæc enunciati divisio é quantitate antecedentis sumta sit: antecedens autem enunciati,

ciati, aut commune sit aut proprium, seu (ut Logici loquuntur) aut generale aut speciale: consequens est ut enunciatum generale appelletur cujus antecedens generale est: sive consequens ei attribuatur omni, sive non omni: Speciale contrá, cujus subjectum speciale seu proprium est. Divisio igitur proposita, membrorumque definitiones, sic erunt instituendę.

Enunciatum simplex aut generale est, aut speciale. Generale, cujus antecedens est generale. Et hoc aut universale est, aut particulare. Universale, quando consequens de antecedente enunciatur universo seu toto seu omni: hoc est, de omnibus & singulis speciebus sub eo comprehensis. Et hoc aut disterminatum est, aut indisterminatum: Disterminatum, cujus antecedenti adjectum est signum quantitatis universale: ut, *Omnis homo est animal*. Indisterminatum, cujus antecedens signo quantitatis caret: ut, *Homo est animal*. Atque sic dividitur universale. Particulare enunciatum est, quando consequens de antecedente non universo seu toto seu omni enunciatur, sed tantúm ex parte: idque semper adjecto signo quantitatis: ut, *Quidam homo fuit reliquorum omnium pater*, *Quidam homines sunt á Deo electi ad vitam aeternam*. Hoc genus enunciati videtur nominandum *infinitum*: quia signum quantitatis particulare, etsi genus ad speciem speciesve aliquot restringit: tamen speciem speciésve illas non definit, nec diserté indicat. Sic certé Grãmatici Græci pronomẽ τὶς, τὶ (id est, aliqs, aliqua, aliquid) quum nõ accipitur interrogativé, *infinitum* vocant. Sed *particulare* vocatur haud incõmode: quia cõseqũs ipsius de antecedentis tantúm parte enunciatur. Atq; hęc de enũciato generali. Speciale enunciatũ est, cujus antecedens speciale seu propriũ est: ut, Paulus fuit apostolus: Judas Iscariotes prodidit Christũ. Hoc genus enunciati noster author vocat *propriũ*: vulgo appellatur *singulare*, eó quód antecedens rẽ significat singularẽ seu unicam & individuam: quam noster author speciem

ſpecialiſſimam nominat. Hæc ſi admittuntur: fatendum erit, Ramum primó appellationem hanc, *Generale*, non recté reſtrinxiſſe ad enunciatum univerſale: quum pertineat etiam ad particulare. deinde, non recté ſpeciale diviſiſſe in particulare & proprium: quum ſolũ proprium ſpeciale ſit, particulare autem generale. poſtremó & illud liquet: eum inconſtanter in definiendo locutum: ut qui enunciati ſpecialis definitionem non tradiderit talem quæ per omnia, oppoſita eſſet definitioni enunciati generalis. etenim in definitione enunciati generalis ponit *Conſequens commune*, item *Generaliter:* at in definitione enunciati ſpecialis, nihil priori particulæ opponit. Nec enunciatum *generale* á ratione attribuendi, ſed á quantitate antecedentis denominandum eſt: ſicut ipſe author in denominando proprio obſervavit. Quód autem paulo anté dixi, particulari enunciato ſemper adjectum eſſe ſignum quãtitatis, ideo dixi: quia enunciatũ indefinitum ſeu indiſterminatum ſemper æquipollet univerſali: nunquam autem (ut vulgó falſó traditur) particulari. Etſi enim non ſemper univerſaliter vera ſunt quæ indefinité enunciantur: tamen eo ſenſu enũciantur ac ſi univerſaliter vera eſſent, quippe aliás nullam concludendi vim haberent: id quod probatorum authorum exempla comprobabunt. ut in illa exhortatione Turni apud Virgil. 10. Æneid. ubi Rutulos ad arma capeſſenda Trojanosque arcendos exhortans, inter alia dicit: *Audentes fortuna juvat.* Quod ſi interpreteris particulariter, Nonnullos audentes fortuna juvat: quam quæſo vim concludendi habebit? Fac enim ſyllogiſmum:

Quosdam audentes fortuna juvat.
Vos Rutuli audete:
Ergo fortuna vos juvabit.

Quis ſic argumentantem ferat? quum in ſyllogiſmis primæ (ſicut & ſecundæ) figurę propoſitionem aut univerſalem, aut ſingularem, nunquam autem particularẽ eſſe oporteat. *Quando commune*] Quomodo generale

rale enunciatum definiendum videatur, pauló anté diximus. *Attribuitur generaliter*] Id est, quum aliquid enuntiatur de toto genere, seu de omnibus speciebus: καθ᾽ ὅλου ἢ κατὰ παντός. ut, Omne animal sentit: hîc sensus affirmatur de toto genere animalium, seu de omnibus speciebus animalis: nẽpe de homine & bestia. Nullum animal perpetuó vigilat: hîc perpetua vigilatio negatur de toto genere animaliũ, seu de omnibus speciebus animalis. *Contradictio*] Id est, enunciatorũ per affirmationem & negationem oppositio: nam Aristoteli & vulgo ἀντίφασις, id est Contradictio, specialiús dicitur. *Non semper*] Hîc oritur gravis quæstio. Sunt enim qui contendant, contradictionem semper dividere verum & falsum. Ad hanc magnorum virorum dissensionem dirimẽdam & conciliandam, observandum est eos non de uno eodemq; contradictionis genere loqui. Noster enim author hîc respicit ad eam contradictionẽ quæ pendet ex affirmatione & negatione vinculi: ut Omne animal est rationale: Nullum animal est rationale. quod perinde est ac si dicas, Omne animal non est rationale. Quod genus loquendi Romanis quidem auribus insolens est: veruntamen usitatum apud Hebræos, & ab Apostolo etiam in lingua Græca retentum: ut ubi allegat dictum Psalmi, In cõspectu tuo non justificabitur omnis caro: πᾶσα σάρξ. Quorum verborũ syntaxis est, Omnis caro nõ justificabitur: id est, Nulla caro justificabitur. Qui autem nostrum authorem hallucinari judicant, respiciunt ad eam contradictionem quę pendet ex affirmatione & negatione signi quãtitatis in enunciati antecedente: ut, Omnis homo est sanus, Non omnis homo est sanus. Ac de hoc quidem posteriore contradictionis genere verum est, eam semper verum á falso dividere: de illo autem priore (pace eorum dixerim) non est verum: id quod exempla á nostro authore posita manifesté evincunt. At, inquient illi, enunciata ista á P. Ramo hîc proposita, non sunt contradictoria: sed cõtraria.

Rom. 3, 20.
Psal. 143, 2.

At, inquam ego, contradictoria sunt; vel ex definitione Aristotelis quæ extat in libro de Interpret. cap. 4. ubi ait, καὶ ἔστω τοῦτο ἀντίφασις, κατάφασις καὶ ἀπόφασις αἱ ἀντικείμεναι: id est, Et esto hoc contradictio, affirmatio & negatio oppositæ: id est, quarum altera alteri est opposita. Nec veró quum in hoc genere contradictionis, signum affirmativum universale negativo universali permutatur, idcirco ipsum enunciati antecedens seu subjectum mutatur: sed idem prorsus subjectum manet, eademque quantitatis determinatio: sed qualitas tantúm enunciati mutatur, nempe affirmatio in negationem: ut ex logica illa analysi de qua paulo anté admonuimus, manifestum est. Non rectè autem contraria (Aristoteli ἐναντία, id est Ciceroni adversa) nominari ejusmodi enunciata videntur: quum *Esse* & *Non esse*, quæ in iis inter se opponuntur, contradicentia sint. Contraria autem seu adversa ea potiús enunciata appellanda videntur, quorum attributa contraria seu adversa sunt: ut, Socrates est bonus, Socrates est malus. sic, Omnis homo est sanus, Omnis homo est æger. *Quando consequens*] Quomodo enunciatum speciale definiendum esse videatur, paulo anté diximus. *Non omni antecedenti*] Id est, quum aliquid enunciatur non de toto genere, sed tantúm de aliquot speciebus, vel etiam de una tantùm specie. Sed hîc committitur elenchus homonymiæ. nam particula hæc, *Non omni*, in enunciato particulari intelligitur στερητικῶς, privativé: illi enim opponitur enunciatum universale, cujus consequens antecedenti attribuitur omni, id est toti. At in enunciato proprio (de quo tamen inepté dici videtur) non potest intelligi nisi ἀποφαντικῶς, negativé: quia enunciato proprio nullum opponitur, in quo consequens antecedenti omni attribui rectè dicatur. *Semper dividit*] Si scilicet particulari aut singulari affirmationi opponatur negatio universalis: aut contrá particulari aut singulari negationi affirmatio universalis. Nam si particulari affirmationi opponatur negatio particularis: utrum-

que

que enunciatum verum esse potest:ut, Quidam docti sunt viri boni: Quidam docti non sunt viri boni. Sed hoc genus contradictionis á superiore diversum est. Superius enim pendet ex affirmatione & negatione vinculi:ut,Omne animal est rationale, Nullum animal est rationale.quod perinde est ac si dicas,Omne animal non est rationale. At hoc genus contradicendi pendet ex affirmatione & negatione signi quantitatis in antecedente:ut,Aliquid ignoscendum est: Nihil ignoscendũ est.quod perinde est ac si dicas, Non aliquid ignoscendum est. quomodo Græci dicunt, οὐδὲν, quasi οὐδὲ ἕν. Sic, Aliqua clementia non est laudanda: Omnis clementia est laudanda. quod perinde est ac si dicas, Non aliqua clementia non est laudanda, hoc est, Nulla clementia non est laudanda. Quo loco observandum, hoc posterius contradictionis genus semper dividere verum & falsum: non solúm in enunciato particulari, sed etiam in universali: ut, Omne animal est rationale, Non omne animal est rationale: Sic,

Omnis in urbe locus Bajis prælucet amœnis:
Non omnis in urbe locus Bajis prælucet amœnis.

Particulare aut] Quid de hac divisione sentiendum sit, judicare poterit lector ex iis quæ paulo anté annotavimus ad divisionem axiomatis simplicis, *Commune*] Hoc non est κατὰ παντός: ut, Quidam homo est Socrates. hoc enunciatum particulare est: & tamen consequens commune non est, sed proprium. *Particulariter*] id est, Non toti generi antecedentis:sed tantúm aliquot ejus speciebus, vel etiam uni tantúm speciei:idq; indefinité,id est, ita ut nulla certa species indicetur,sed tãtúm aliqua aut aliquę innuãtur:unde author hujusmodi enũciata olim non incõmodé infinita appellavit.ut quũ Christ⁹ in postrema cœna discipulis diceret, Aliquis é vobis me proditurus est. Sic Phil. 1, 15. Ac nonnulli quidem per invidiam & contentionem: nonnulli

veró etiam propensa voluntate Christum prædicant. hîc duo enunciata infinita sunt. *Generaliter*] Id est, universaliter. Hoc non est καθόλυ πρῶτον: quia convenit etiam enunciato universali, quod author generale nominat. Ubi observabis, sicut enunciato particulari contradicitur universaliter: sic universali contradici particulariter: quæ utraque contradictio verum á falso dividit. *Proprium*] Vulgó propositio singularis. Author vocat enũciatum proprium: vel quia antecedens seu subjectum feré constat nomine proprio: vel quia subjectum nõ est quiddam commune & generale, sed proprium & speciale, nempè species specialissima seu res singularis. *Antecedenti proprio*] Vulgó vocant individuum, item singulare seu rem singularem: author speciem specialissimam. *Contradictio*] Videlicet contradictio primi generis, quæ pendet ex affirmatione & negatione vinculi: quæ quidem sola hîc locum habet: nam altera quę pendet ex affirmatione & negatione signi quãtitatis in antecedente, ab hoc genere enunciati aliena est.

CAP. 5. DE AXIOMATE *copulato*.

Axioma compositum est, quod vinculo ″cõjunctionis continetur. Itaque é conjunctione affirmata vel negata, affirmatur vel negatur. ″Contradictionisque pars vera est, pars falsa. Enunciatum compositum, est pro sua conjunctione congregativum, aut segregativum: cõgregativum, enũciat omnia consentanea affirmando, omnia etiam dissentanea″ negando. Est veró copulatum aut connexum. Copulatum, cujus conjunctio est copulativa. ut 1. Æneid.

″*Unà*

"*Unà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis*
Africus.—

Hîc igitur negatio erit & contradictio:

"*Non unà Eurusq; Notusque ruunt, creberq; procellis*
Africus.—

Verum enunciati copulati judicium pendet ex omnium partium veritate:"falsum, saltem ex una parte falsa. Huic generi affine est enunciatum relatæ "qualitatis, cujus conjunctio est ipsa relatio. 3. Eclog.

Tale tuum carmen nobis divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine.---

Hic copulatum judicium est, tanquam diceretur: Sopor est fessis gratus, & sic tuum carmẽ nobis gratum est: cujus negatio,

"*Non tale tuum carmen nobis divine poëta,*
Quale sopor fessis in gramine.---

Conjunctionis] Intellige notam conjunctionis Grãmaticam. Enũciatum igitur compositum est quo enunciata simplicia duo plurave, conjũctione aliqua inter se composita enunciantur. *Contradictionisq;* Intellige cõtradictionem primi generis, qua negatur vinculum. nam contradictio qua negatur signũ quantitatis, á cõpositis enũciatis aliena videtur esse: exceptis disjũctis, itẽ copulatis: ut quæ ad naturam simpliciũ propiús vidẽtur accedere. *Negãdo*] Exceptis enunciatis sacrarũ litterarũ de Christo, qbus de eo enũciantur dissentanea affirmãdo ꝓpter duas in ej' persona naturas (divinã & humanã) inseparabiliter inter se unitas: ut, Christus & ubiq; est, & in uno tãtúm loco. *Unà Eurusq;*] Hîc tria enũciata sunt. 1, Eurus ruit. 2, Notus ruit. 3, Africus ruit. Sed hæc tria in

unum conjuncta atque composita sunt per conjunctionem copulativam, Que. *Nō una*] Duplex est ratio negādi in enūciatis copulatis: negatur enim aut pars tātúm, aut totum. Quum negatur pars tantúm, tū adverbiū negandi præponitur conjunctioni: ut, Socrates & bonus & doctus est: Socrates non & bonus & doctus est. quasi dicatur, Socrates est quidem bonus: at non est doctus. vel, Est quidem doctus: at non est bonus. Quum negatur totum: tum conjunctiones affirmativæ permutātur negativis: ut Socrates nec bon⁹ nec doctus est. quasi dicatur, Socrates & bonus & doctus non est. Sic apud Græcos; ὁ σωκράτης ἀγαθός τε καὶ σοφός ἐστι· ὁ σωκράτης οὔτ' ἀγαθὸς οὔτε σοφός ἐστι. Sic in nostra lingua, *Der Socrates ist beyde from vnd gelehrt, Der Socrates ist Weder from noch gelehrt.* Sed prior ratio negandi ꝓpria est hujus loci: ut per quā negatur ipsa copulatio. *Falsum, saltē ex una parte falsa*] Enūciatū copulatū falsum est, sive omnes ej⁹ partes falsæ sint, sive nō omnes, sed una tātúm, vel aliquę tātúm. Veruntamē si partes omnes falsę sint, tūc enunciatū copulatū simpliciter & ex toto falsum est: si una vel aliquæ tantúm, tunc enunciatum copulatum est quidē falsum, sed ex parte tantúm & secundum quid, non autem ex toto seu in totum & simpliciter. *Qualitatis*] Atque etiam quantitatis, & omnino comparationis: hoc est, enunciatum quo enunciatur plena comparatio: constans nimirum duabus partibus, protasi & apodosi: ac proinde duobus enunciatis, quæ inter se componuntur per vocabula relativa comparationis. Hujusmodi enunciatorū exēpla vide lib. 1, cap. 18, 19, 20, 21, 22. *Non tale*] Hic adverbium negandi prępositum est apodosi: interdum præponitur protasi, ut apud Cic. in Lælio: Non quemadmodū equis vetulis teneros anteponere solemus, sic amici novi veteribus anteponendi sunt.

CAP. 6. DE AXIOMATE CONNEXO.

"Axioma connexum, est congregativū, cujus conjunctio est connexiva, Si: ut 2. Æneid.

--Simi-

—*Si miserum fortuna Sinonem*
Finxit.vanũ etiam mendacemq; improba finget.
cujus negatio est,
Non si miserum fortuna Sinonem
Finxit,vanum etiã mendacemq; improba finget.

Conjũctio etiam hæc interdũ negatur apertiús,negando consequentiã:ut pro Amer."Nõ continuó si me in sicariorum gregẽ contuli,sicarius sum. De Fato,"Nec si omne enunciatũ verũ est aut falsum,sequitur illico caussas esse immutabiles. Affirmatio.n. significat,si sit antecedens, etiam consequens esse. Negatio itaque & cõtradictio statuit,"si sit antecedens, nõ ideo consequẽs esse.Quare cúm judicabis,connexum absoluté verum esse;necessarium quoque judicabis: & intelliges, hãc necessitatem é necessaria partium connexione oriri, quæ ipsa potest esse vel in falsis partibus:ut,Si homo est leo,est etiam quadrupes, necessarium cõnexũ est. At si connexio sit contingens & pro sua tãtúm probabilitate ponatur, judicium ejus tantúm opinio fuerit: ut Terent.Andr.
"*Pãphile,si id facis,hodie postremúm me vides.*
Connexo axiomati affinis est ista consequẽtiæ relatio: ut,"Cúm Tullius sit orator, est etiam peritus bene dicendi.

Axioma connexum] Vulgo appellatur Propositio conditionalis: sicut superior copulativa. Dividitur enim vulgó propositio in categoricam & hypotheticam:deinde hypothetica in conditionalẽ,copulativam & disjunctivam. Quæ utraque divisio vitiosa est.

Prior ideo:primúm,quia partes nō sunt inter se dissentaneę:nā hypothetica propositio est etiā categorica:qa κατηγορεῖ,p̄dicat,id est,enūtiat aliquid de aliquo:ut,Si sol lucet,dies est. Deinde ideo,quia partes nō sunt cū toto reciprocę:Nam omnis quidē categorica,id est,simplex,omnisq; hypothetica,est propositio:at non omnis ꝓpositio est categorica,id est,simplex,vel hypothetica.quippe ꝓpositiones copulativę & disjūctivę neq;categoricę sūt, id est, simplices: neq; hypotheticæ,id est,conditionales. Altera divisio similiter vitiosa est: partim propter ἀδηλεχίαν mēbri primi:hypothetica.n.Gręcis idē est qđ Latinis cōditionalis:ὑπόθεσιν.n.Latini conditionē vocāt.partim ꝓpter falsitatē mēbrorū reliquorū:quippe q̄ cū toto dissentaneæ sunt:nulla.n. hypothetica vel copulativa vel disjūctiva est. Repudiata igitur tā vitiosa divisione,retineamus bonā & legitimam quā noster author tradidit. *Non si miserū*]Duplex est ratio cōtradicendi enunciatis cōnexis affirmatis.Aut.n.negatur solū cōsequētia: & tūc adverbiū negādi p̄ponitur cōjūctioni cōnexivę:aut affirmat̄ etiā cōsequētia cōtrarii:& tūc adverbiū negādi prępoinit̄ verbo substātivo enūciati cōsequētis.Exēpla prioris cōtradictionis sunt in textu:posterioris est hoc:Ratio dicit,Si De⁹ nos castigat, odit nos.Verbū Dei cōtradicit, Si Deus nos castigat,nō odit nos,sed amat nos. Nā quū judicamur,á Domino castigamur, ne cum mūdo cōdemnemur:1.Cor.11,32.Itē, Quē diligit Domin⁹,castigat: & flagellat omnē filiū quē recipit. Hebr.12,6.Prov.3,13. Sed prior ratio negādi,propriè hujus est loci:quia p eam negat̄ipsa cōnexio. *Nō cōtinuó*]Sic, Nō cōtinuó si Christus in publicanorū gregē se cōtulit, socius publicanorū fuit. *Nec si*]Sic, Non si corp⁹ Christi personaliter unitū est τῷ λόγῳ, sequitur illico istud esse ubiq;. *Pamphile*] Hujus generis enūtiata sunt promissiones & cōminationes hominū cōditionales:idq; ꝓpter volūtatis humanę mutabilitatem , vel etiā propter promittentiū comminantiumve simulationem. *Cúm Tullius*] Hujusmodi oratio videtur potiús enthymema esse , id est syllogism⁹ imper-

imperfectus, cui deest propositio: idq; propterea, quód antecedens tanquam certum affirmatur. Perinde enim est ac si dicatur: Tullius est orator: Ergo est etiam peritus bene dicendi. *Si sit*] Id est, Si maximé sit antecedens, non tamen ideo consequens esse.

CAP. 7. DE AXIOMATE *discreto.*

Axioma segregativum, est cujus conjunctio est segregativa: ideoque argumenta dissentanea enunciat. Enunciatum segregativum, est discretum aut disjunctum. Discretum, cujus conjunctio est discretiva. Itaque é dissentaneis præcipué diversa enunciat. 5. Tusc. Quanquam « sensu corporis judicentur, ad animum referri « tamen:" cujus negatio & contradictio est," Nō quanquam corporis sensu judicentur, tamen ad animum referri: vel, Quanquam sensu corporis judicentur," non tamen ad animum referri. Nam, Tamen, est hîc conjunctio præcipua. Discretum enunciatum judicatur esse verum & legitimum, si partes non solúm veræ: sed etiam discretæ sint: falsum" vel ridiculum contrá.

Cujus negatio] Negatio discreti potest etiam esse negatio copulati, ut bene Talæus annotavit. ut si affirmaretur, Et abest á culpa & caret suspicione: tum discretū opponeretur, Quanquam abest á culpa, suspicione tamen non caret. Vel, Quanquam caret suspicione, non tamen abest á culpa. Eodem modo enunciato connexo contradici posse Talæus judicat: ut, Si abest á culpa, caret etiam suspicione: Quanquam abest á culpa, non tamen caret suspicione. Quod mihi non videtur. Quia

connexi antecedens non veré affirmatur, ſed tantùm affirmatio ejus fingitur: at diſcretum negatum, antecedens concedit & fatetur, tãquam ſimpliciter & veré affirmatum fuerit. *Non quanquam*] Dubito an enunciatum diſcretum hoc modo negatum (videlicet adverbio negandi notæ protaſeos ſeu antecedentis præpoſito) uſu loquendi & exemplis probatorum authorũ confirmari poſſit. *Non tamen*] Hujuſmodi enunciata diſcreta negata, reperiuntur illa quidem apud bonos authores: ſed (quod ſciam) non habent hunc uſum, ut adhibeantur ad contradicendum enunciatis diſcretis affirmatis. Videtur autẽ enunciatĩ diſcreti (ſive negati, ſive affirmati) uſus eſſe duplex: alter in prolepſibus ſeu occupationibus, alter in contradicendo enunciatis copulatis ex parte falſis. Ac in prolepſibus quidem uſum habet enunciatum diſcretum, quum enthymema defectum propoſitione, ita occupatur ſeu antevertitur, ut aſſumtio quidem concedatur, propoſitio autem negetur. ut 1. de Offic. in principio, Cicero occupat hoc enthymema Marci filii: Abundo præceptis philoſophiæ: ergo non proficiam legendis philoſophicis ſcriptis patris. Cicero reſpondet: Quanquam abundas præceptis philoſophiæ, tamen proficies legendis meis ſcriptis. quaſi dicat: Concedo aſſumtionem: ſed nego propoſitionem, nempe, Si abundo præceptis philoſophiæ, non proficiam legendis ſcriptis patris. vel, Quicunque abundat præceptis philoſophiæ, is non proficiet legendis ſcriptis Ciceronis. Sic 2. Æneid. quum Poëta narraſſet, quomodo Pyrrhus in expugnatione Trojæ Polyten filium Priami perſequens, ante ora patris occiderit: occupat hoc enthymema lectoris: Hic Priamus tenetur in media morte: ergo abſtinuit ab increpando Pyrrho mortem intentante, ac potiùs vitam ab eo ſupplex deprecatus eſt. Poëta reſpondet:

Hic Priamus quanquam in media jam morte tenetur,

Non tamen abſtinuit.

Quasi dicat: Concedo assumtionem, sed nego propositionem, nempe, Si Priamus in media jam morte tenebatur, ergo abstinuit ab increpatione Pyrrhi. vel, Quicunque in media morte tenetur, is abstinet ab increpatione hostis. Sic quum caro nostra dicit; Deus nos castigat, ergo odit nos: respondet spiritus, Quanquam Deus nos castigat, tamen non odit nos.

Alter usus discreti enunciati est ad contradicendum enunciatis copulatis ex parte falsis: Etenim tunc pars vera á falsa discernitur atque distinguitur: ut, Æsopus & ingeniosus & formosus fuit. hoc enunciatum copulatum, falsum est ex parte posteriore. Ergo ei sic contradicitur: Quanquam Æsopus fuit ingeniosus, non tamen fuit formosus. Eadem est ratio contradicendi, si enunciatum copulatum negans sit: ut, Æsopus nec ingeniosus, nec formosus fuit. hoc copulatum negans falsum est ex parte priore: eiq; sic contradicitur, Quanquam Æsopus non fuit formosus, tamen fuit ingeniosus. *Vel ridiculum*] ut, Quanquam Socrates est homo, tamen est animal rationale. hic segregantur consentanea, nempe definitum & definitio: quæ segregatio ridicula & inepta est.

CAP. 8. DE AXIOMATE *disjuncto.*

"Axioma disjunctum, est axioma segregativum, cujus conjunctio est disjunctiva. ut 1. Georgic.

"*Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox*
Semper, & obtenta densantur nocte tenebræ:
Aut redit á nobis aurora, diemque reducit.

De Fat. "Omnis enũciatio est vera aut falsa. "Hîc significatur, é disjunctis unicum verum esse. Negatio igitur erit & contradictio: "Non omnis enunciatio est vera aut falsa. Et contradictione significatur, non necessarió alterutrum verum esse. Nam si disjunctio absoluté vera est, est etiam necessaria: partesque disjunctæ sunt oppositæ sine ullo medio. Veruntamen quamvis absoluté vera disjunctio, necessaria quoque sit: tamen nihil necesse est partes separatim necessarias esse: ut, Homo est bonus vel non est bonus, disjunctio necessaria est: & tamen, Homo est bonus, non est enunciatio necessaria: Item, Homo non est bonus, non est enunciatio necessaria: sed disjunctionis necessitas pendet é necessaria partium oppositione & disjunctione, non ex earum necessaria veritate. Disjunctio autem plerumque est ex conditione, ut si quæratur, utrúm Cleon venerit, an Socrates: quia ita pactum sit, alterutrũ tantúm venturum esse. Itaq; si disjunctio sit contingens, non est absoluté vera, & tantúm opinabilis est: qualis est frequenter in hominum usu. Ovid. in Epistola Leandri,

"*Aut mihi continget felix audacia salvo,*
Aut mors sollicitis finis amoris erit.

Axioma disjunctum] Vulgó propositio disjunctiva. Hoc enunciato propriè enunciatur divisio, ac proinde contraria medio carentia. *Illic*] Hoc est, sub arcto per totum anni tempus aut continua nox est sex mensium, aut perpetuus totidem mensium dies. Hoc enunciatum

non

non est disjunctivum, sed distributivum: de quorum enunciatorum discrimine commodiús differetur in exemplo proximé sequente. *Omnis enunciatio*] Hoc enunciatum non videtur esse compositum: ac proinde nec disjunctum, sed simplex. Rationes cur ita videatur, hæ occurrunt. 1. Quoniam est enunciatum universale: Omne autem enũciatum universale est simplex: si quidem enunciatum simplex recté dividitur in universale & particulare & singulare: quomodo divisum fuit suprá cap.4. 2. Quoniam ei contradicitur ut enunciato simplici, videlicet nota negationis præposita signo quantitatis, non autem conjunctioni disjunctivæ. 3. Quoniam non potest permutari enunciato connexo, in quo scilicet altera pars disjunctionis affirmetur, altera negetur. 4. Quoniam non præbet usum ad syllogismum disjunctum: non enim potest cõstituere illius propositionem. 5. Quoniam ei non convenit enunciati disjuncti propria affectio, quæ est, ut é disjunctis unicum verum sit. Hîc enim neutrum verum est. nam nec omnis enunciatio est vera, nec ètiam omnis enunciatio est falsa.

Hinc intelligi potest, distributionem non semper disjunctivé enunciari. Quo ergo alio modo (quærat aliquis) enunciatur? Nempe interdum enunciatur distributivé, hoc est, ita ut intelligatur antecedens in eas partes quæ in distributione enumerantur, tanquam in species distribui ac distingui: quod fit, quando distributio de antecedente generali universaliter: ut hîc, Omnis enunciatio est vera aut falsa. sic, Omne animal est rationale aut irrationale. Disjunctivé autem tum demum enunciatur distributio, quum enunciatur de specie aliqua ejus generis ad quod distributio proprié pertinet: sive ea species sit specialissima, hoc est res singularis, quæ vulgo individuum dicitur: ut, Socrates aut rationalis est, aut irrationalis: Sive sit species subalterna: ut, Homo aut rationalis est, aut irrationalis. *Hic significatur, é disjunctis unicum verum esse*] Hoc non est κατὰ παντός: quia tantúm verum est de enunciato disjuncto, in

quo divisio enunciatur de specie generis divisi: ut, Homo aut rationalis est aut irrationalis. Falsum autem est de enunciato disjuncto, in quo divisio enũciatur de ipso genere diviso: ut, Omne animal aut rationale est aut irrationale. hîc enim nõ significatur, é disjunctis unicum verum esse: sed significatur ambo simul sumta, attamen disjunctim sumta, vera esse. Neutrum enim separatim sumtũ, verum est: ut, Omne animal est rationale, Omne animal est irrationale. *Non omnis enunciatio*] De negatione enunciati disjuncti observandum, si affirmatum fuerit definitum, id est, signo quantitatis insignitum, tum adverbium negandi præponi signo: ut hîc, Omnis enunciatio aut vera est aut falsa: Non omnis enũciatio aut vera est aut falsa. Si veró affirmatum fuerit indefinitum, id est, nullo signo quantitatis determinatum: tum adverbium negandi præponi verbo substantivo: plané ut in enunciatis simplicibus. ut, Enunciatio est aut vera aut falsa: Enunciatio non est aut vera aut falsa. *Aut mihi*] Enunciatio disjuncta Leandri hæc est: Si navigem ad amicam: aut potiar eius amore, aut in mari moriens liberabor amoris molestia. hæc disjunctio non est necessaria: quia poterat dari tertium. poterat enim fieri ut quidem vivus perveniret ad littus, nec tamen amica potiretur.

CAP. 9. DE SYLLOGISMO *& ejus partibus.*

Atque ejusmodi judicium est axiomaticum axiomatis "per se manifesti, sequitur dianoëticum. Dianoia est, cúm aliud axioma ex alio deducitur: estq; syllogismus aut methodus." Syllogismus est dianoia, qua "quæstio" cum argumento ita disponitur, ut "posito antecedente, "necessarió concludatur. Nam cúm axioma dubium "sit," quæstio efficitur," & ad ejus fidem

dem ″tertio argumento opus eſt ″cum quæſtione collocato.″ Syllogiſmi antecedens partes duas habet,″propoſitionē & aſſumtionem.

Propoſitio, eſt prima pars antecedentis, ″qua quæſtionis ſaltem conſequens cum argumento diſponitur: Aſſumtio eſt ſecunda pars antecedentis, ″quæ aſſumitur é propoſitione. Syllogiſmi autem pars conſequens eſt, ″quæ complectitur partes quæſtionis, eamque concludit: unde cōplexio & concluſio dicitur.″ Si qua pars ſyllogiſmi defuerit, ″enthymema dicitur: ſi quid præter illas tres partes acceſſerit, ″proſyllogiſmus. ″Partium etiam ordo ſæpé confunditur: attamen ſi qua dubitatio propterea fuerit; ″explenda quæ deſunt: ″amputanda, quæ ſuperſunt: & pars quælibet ″in locum redigenda eſt.

Per ſe manifeſti] Imó cujusvis enunciati, ſive per ſe manifeſti, ſive indigentis demonſtratione ſyllogiſtica. Hoc igitur non eſt *καθόλου πρῶτον*. *Syllogiſmus*] συλλογισμὸς, Latiné ratiocinatio, item argumentatio, itē concluſio: Germanicé *ein Schluſsred*. Proprié videtur ſignificare (ut Talæus annotat) calculum Arithmeticum, id eſt, collectionem: qualis fit ex additione variorū nominum capitumq; ſumma quædam. ut ſi dicas: Iſte mihi debet duos florenos pro vino, & tres pro frumento: Ergo in ſumma debet mihi florenos quinque. Itaque συλλογισμὸς, eſt συλλογὴ λόγων, collectio rationum. *Quæ quæſtio*] Id eſt, enunciatum dubium de cujus veritate quæritur. Metonymia adjuncti: Quæſtio enim occupatur in enunciato dubio. item, Quæſtio, ſcilicet cōjuncta: nam ſimplex quæſtio ἀσυλλόγιστος eſt, hoc eſt, non poteſt ſyllogiſmo concludi. Synecdoche generis. item,

Quæstio, id est vel tota quæstio: ut fit in syllogismo cõposito: vel quæstionis partes singulatim, nempe seorsim antecedens, & seorsim consequens: ut fit in syllogismo simplici. Synecdoche generis alia. Ita perspicitur, tres hîc tropos in uno vocabulo concurrere. *Cum argumento*] Hîc argumenti vocabulum in propria significatione accipitur, pro eo quo quæstio arguitur, id est, consequens de antecedente verè enunciari demonstratur. *Posito antecedente*] Id est (ut vulgo loquuntur) concessis præmissis, seu majore & minore propositione. *Necessarió concludatur*] Id est, ita demonstretur ut nemo sanæ mentis dubitare possit, quin enunciatũ quod concluditur, verum sit, si enunciata duo ex quibus illud concluditur, vera sint: id est, quin conclusio sequatur ex præmissis. *Sit*] Malim dicere, *Est.* nam *Quum sit*, non significat idem quod *Quando est*: sed idem valet quod *Quia est.* quibus verbis hîc peccaretur in legem κατὰ παντός. *Quæstio efficitur*] Ipsa enunciatio non efficitur quæstio: sed quia dubia est, inde nascitur quæstio, qua de illius veritate quæritur, ut omni dubitatione sublata, certa scientia comprehendatur. *Et ad ejus fidem*] Id est, ad faciendum ei fidem, ut ei fides habeatur, ut credatur. *Tertio argumento*] Hîc argumenti nomen partim propriè, partim καταχρηστικῶς accipitur. In syllogismo enim sunt tres termini: quorum unus tantùm argumentum propriè vocatur, vulgó medium: reliqui autem duo vocantur terminus major & minor. *Cum quæstione*] Id est, cum partibus quæstionis sigillatim, semel cum una, & semel cum altera. *Syllogismi antecedens*] Syllogismi partitio, id est, in membra distributio, ex quibus membris syllogismus integratur, quorum alterum dicitur authori Antecedens, alterum Cõsequens: Græcis πρόθεσις & συμπέρασμα. *Propositionem & assumt.*] Vulgo vocant propositionem majorem & minorem. *Quæ quæstionis saltem cõsequens*] Id est, Enunciationis concludendæ prædicatum seu attributũ. Vulgo, Propositio major est quæ continet terminum ma-

jorem

rem cum medio. Quæ definitio non eſt reciproca: nam non eſt *κατὰ παντός*: quum propoſitio major ſyllogiſmi (ut vocant) hypothetici, non ſolúm terminum majorem, ſed etiam minorem, id eſt, totam quæſtionem contineat. Idcirco noſter author adjecit adverbiũ *Saltem:* quaſi dicat, Si non ſemper tota quæſtio, ſaltem quæſtionis conſequens in propoſitione cum argumento diſponitur: quorum illud fit in ſyllogiſmo compoſito, hoc in ſimplici. *Quæ aſſumitur é propoſitione*] Malim dicere, Ad propoſitionem: hoc enim poſtulare videtur verbi compoſitio. Et idem innuunt appellationes Græcæ, πρόσληψις & μετάληψις: quarum illa notat additionem, hæc poſtpoſitionem. Interim verum eſt, aſſumtionem non ſolúm aſſumi ad propoſitionem, ſed etiam é propoſitione: Aſſumitur enim inde argumentum, & iterum enunciatur: vel ſolúm, ut in ſyllogiſmo compoſito: vel cum antecedente quæſtionis, ut in ſyllogiſmo ſimplici. Vulgó, Propoſitio minor eſt, quæ continet terminum minorem cum medio. Sed hæc definitio eodem quo ſuperior, vitio laborat: Vera enim tantúm eſt de aſſumtione ſyllogiſmi ſimplicis, de compoſiti non item. *Quæ complectitur partes quæſtionis*] Vulgo, Quæ continet terminum majorem cum minore. *Si qua pars*] Scilicet, quæcunque illa ſit: ſive propoſitio, ſive aſſumtio, ſive concluſio. quanquam concluſio rariús omitti videtur: Et concluſio non tam pars ſyllogiſmi, quám effectum videtur. Unde Efficiendi verbum pro verbo Concludendi apud Cic. crebró reperitur. *Enthymema*] ἐνθύμημα παρὰ τὸ ἐνθυμεῖσθαι, quod eſt in animo (ἐν θυμῷ) verſare ſeu volvere, cogitare. Quum enim enthymema ſit ſyllogiſmus imperfectus, nempe una ſui parte truncatus ac mutilus: fit ut partem illam omiſſam audienti cogitandam & in animo ſupplẽdam relinquat. non enim acquieſcit mens, donec perfectum ſyllogiſmum complexa ſit. Itaque ſyllogiſmus imperfectus appellatus eſt ἐνθύμημα, id eſt, cogitatio, per metonymiam effecti: quia cogitationem enunciationis

omissæ parit atque efficit. *Prosyllogismus*] Prosyllogismos Latini vocant approbationes, quasi additas probationes, additas nimirum ad probandum syllogismi propositionē aut assumtionem, quibus probatio principalis continetur. Itaq; videntur veteres appellasse non προσυλλογισμοὺς ex præpositione πρὸ: sed προσυλλογισμοὺς ex præpositione πρὸς: Idque eó magis, quód ab Aristotele etiam appellatur πρόσθεσις, appositio seu additio, id est, additamentum: 2. Prior. 26. *Partium etiam ordo sæpe confunditur*] Paucos reperias in libris authorum syllogismos, quorum partes secundum ordinem artis sint propositæ: sed ordinem ostendere, interpretis seu explicatoris est. *Explenda quæ desunt*] Si scilicet sint enthymemata. *Amputanda quæ supersunt*] Nempe prosyllogismi: item illustrationes vel amplificationes. *In locum*] Videlicet propositio in locum primum: assumtio in secundum: conclusio in tertium.

Hoc loco dicendum aliquid videtur de vulgari divisione argumentationis. Tradunt enim, argumentationis species esse quatuor: syllogismum, enthymema, inductionem & exemplum. Alii & quintam addunt speciem, Soriten. Nos autem cum authore nostro sentimus, argumentationis speciem revera tantúm esse unicam, videlicet syllogismum. Nam & enthymema syllogismus est, sed aliquid perpessus, nempe unius membri truncationem: ut pauló ante explicatum est. Inductio veró enthymema est, cujus argumentum ductum est ab enumeratione specierum seu exemplorum specialium: bonum quidem & syllogisticum, si enumeret species omnes: vitiosum veró & ἀσυλλόγιστον, si enumeret tantúm aliquas species. nam clausula quæ enumerationi solet annecti, *Nec dissimile exemplum potest reperiri*: hæc inquam clausula petit principium, id est, sumit pro confesso id quod est in quæstione, quodque argumento demonstrandum est. Jam exemplum non est argumentationis, sed argumenti nomen: significat enim factum simile. Sed esto, exemplum nominetur per
meto-

metonymiam caussæ, nempe materiæ, ipsa argumentatio quæ exemplo constat: num igitur peculiaris hęc forma argumentationis est? Minimé: Sic enim tot essent formæ argumentationum, quot sunt genera argumentorum. Deinde exemplum illud, nonne enthymema est? ut, David in casu necessitatis non peccavit edendo panes propositionis: Ergo nec discipuli Christi peccarunt, evellendo spicas die sabbathi in casu necessitatis. Hæc argumentatio enthymema est, ac proinde syllogismus. Restat sorites: quid ille? nonne & ipse syllogismus est? Certé sunt qui vocant soriten syllogismum compositum: quo ipso fatentur esse syllogismum, aut certé syllogismos complures in unum veluti acervum coacervatos. Cæterúm quia nemo adhuc (quod sciam) veram & legitimam soritis analysin tradidit: libet hoc loco nostram de ratione resolvendi soriten, exponere sententiam. Est autem sorites syllogismus compositus in quo plures præmissæ coacervantur, & eo ordine connectuntur, ut semper prædicatum præcedentis, sit subjectum sequentis: unde conclusio infertur in qua prædicatum ultimæ præmissæ attribuitur subjecto præmissæ primæ. Vel breviús, Sorites est syllogismus auctus numero pręmissarum gradatim coacervatarum. ut, Socrates est homo: Homo est animal: Animal est substantia: Ergo Socrates est substantia. Dictus est σωρείτης, quasi coacervator, á σωρεύω, coacervo: quod venit á σωρὸς, acervus, cumulus. Cicero acervalem appellat, de Divin. lib. 2.

Sturm. li. 2. part. Dial. c. 41.

« Quomodo autem, inquit, mentientem dissolvas? quem
« pseudomenon vocant: aut quemadmodum soriti resi-
« stas? quem si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem
« appellare, sed nihil opus est. Ut enim ipsa philosophia &
« multa verba Græcorum: sic sorites satis Latino sermo-
« ne tritus est. Et Academ. quæstio. libr. 4. Et primúm,
« inquit, hoc reprehendendum, quód captiosissimo ge-
« nere interrogationis utuntur: quod genus minimé
« in philosophia probari solet; quum aliquid minutatim
« & gradatim additur aut demitur. Soritas hos vocant,

» qui acervum efficiunt uno addito grano: Vitiosum sanè
» & captiosum genus. Hæc Cicero. At, inquam, Sorites non toto genere vitiosus aut captiosus est: sed tam legitimus & firmus esse potest, quàm syllogismus simplex ac purus. Si enim præmissæ in eo omnes veræ & affirmantes sint, atque etiam si última sit negans: tum & legitimus & perspicuus est sorites: ut in exẽplò antè proposito potest perspici: & in sorite Paulino Roman. 5. perspicitur. Sed dicamus nunc de soritis analysi. In sorite igitur resolvendo & in syllogismos simplices seu singulos retexendo, hæ mihi quinque regulæ observandæ videntur. I. Considerandus est numerus præmissarum: ut certi simus de numero syllogismorum ex quibus sorites constat, & in quos proinde resolvendus est. Semper enim sorites ex totidem syllogismis constat ex quot constat præmissis, uno minús. Itaque si tres fuerint præmissæ, syllogismi erunt duo: & sic deinceps. II. Primó omnium excerpendus est syllogismus principalis, id est, quo concluditur quæstio proposita. Is autem continetur præmissâ ultima & conclusione: quarum illa in syllogismo principali fit major: minor autem (quæ in sorite non continetur) supplenda est. Deinde ordine resolvendi sunt prosyllogismi, id est syllogismi approbatorii, quibus aliqua præmissa syllogismi præcedentis approbatur. III. Si sorites ex tribus tantùm præmissis constet, ac proinde in duos tantùm syllogismos retexi possit, videlicet principalem & prosyllogismũ unicum: tunc prosyllogismus continetur duabus primis præmissis: ita quidem ut prima habeat locum minoris, secunda veró majoris. Sciendum autem, prosyllogismo illo semper approbari & concludi minorem syllogismi principalis. IIII. Si sorites ex pluribus quàm ex tribus præmissis constet, ac proinde in plures etiã syllogismos quàm duos, retexi possit: tum etiam plures prosyllogismi fiunt: quorum quidem is est ordo, ut primó approbetur minor syllogismi principalis, secundo minor prosyllogismi primi, tertio secundi, & sic deinceps.

V. Quum in sorite plures uno prosyllogismi sunt: tunc primi prosyllogismi propositio major est præmissa soritis penultima, secundi antepenultima, & sic deinceps: excepta præmissa prima, quæ semper est minor prosyllogismi ultimi. Exempli gratia, resolvamus primúm soriten simplicissimum: qualis est anté propositus:

Socrates est homo:
Homo est animal:
Animal est substantia: Ergo
Socrates est substantia.

Cõstat ex præmissis tribus: ergo ex syllogismis duobus: é quibus principalis est hic:

Omne animal est substantia:
Socrates est animal: Ergo
Socrates est substantia.

Prosyllogismo approbatur minor syllogismi principalis:

Omnis homo est animal:
Socrates est homo: Ergo
Socrates est animal.

Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς recitat soriten Diophanti, filii Themistoclis:

Quæ ego volo, inquiebat, vult etiam mater mea:
Quæ vult mater mea, vult etiam Themistocles:
Quæ vult Themistocles, vult totus populus Atheniensis:
Ergo quæ ego volo, vult totus populus Atheniensis.

Syllogismus principalis est hic:

Quæ vult Themistocles, vult populus Atheniensis:
Quæ ego volo, vult Themistocles: Ergo
Quæ ego volo, vult populus Atheniensis.

Prosyllogismus est hic:

Quæ vult mater mea, vult Themistocles:

Quæ ego volo, vult mater mea: Ergo
Quæ ego volo, vult Themistocles.

Rom.5.extat sorites quatuor præmissarum:

Afflictio parit patientiam:
Patientia experientiam:
Experientia spem:
Spes non pudefacit:
Ergo afflictio non pudefacit: & per consequens, gloriamur in afflictionibus.

Syllogismus principalis:

Spes non pudefacit:
Afflictio parit spem: Ergo
Afflictio non pudefacit.

Prosyllogismus 1.

Experientia parit spem:
Afflictio parit experientiam:
Ergo afflictio parit spem.

Prosyllogismus 2.

Patientia parit experientiam:
Afflictio parit patientiam: Ergo
Afflictio parit experientiam.

Exemplum soritis ex præmissis quinque:

Quod justum est, laudabile est:
Quod laudabile est, pulchrum est:
Quod pulchrum est, optabile est:
Quod optabile est, utile est:
Quod utile est, bonum est:
Quod justum ergo est, bonum est.

Syllogismus principalis:

Quod utile est, bonum est:
Quod justum est, utile est: Ergo
Quod justum est, bonum est.

Prosyllogismus 1.

Quod optabile est, utile est:
Quod justum est, optabile est: Ergo
Quod justum est, utile est.

Pro-

Prosyllogismus 2.
Quod pulchrum est, optabile est:
Quod justum est, pulchrum est: Ergo
Quod justum est, optabile est.
Prosyllogismus 3.
Quod laudabile est, pulchrum est:
Quod justum est, laudabile est: Ergo
Quod justum est, pulchrum est.

Cic.3.Offic. Atq; si etiam hoc natura præscribit, ut homo « homini, quicunq; sit, ob eam ipsam caussam quód is ho- « mo sit, consultum velit: necesse est secundum eandem « naturam, omnium utilitatem esse communem. quod si « ita est: una continentur omnes & eadem lege naturæ. « idque ipsum si ita est: certé violare alterum, lege naturæ « prohibemur. Verum autem primum: verum igitur & « extremum. Hactenus Cicero. Talæus judicat esse syllo- « gismum connexum primi modi, cujus propositio soritem habeat quatuor graduum. At ego judico, duos hîc syllogismos esse: primum soritem, deinde syllogismum connexum primi modi: atq; hunc esse principalem, illũ approbatorium. Quæstio est, An lege naturæ prohibeamur violare alterum? Hujus quæstionis affirmationem concludit Cicero syllogismo connexo primi modi, sic:

Si natura præscribit ut homo homini consultum velit: certé violare alterum, lege naturæ prohibemur.
Verum autem primum:
Verum igitur & extremum.

Hujus syllogismi propositionem approbat sorite, ad hunc modum:

Si natura præscribit ut homo homini consultum velit: necesse est secundum eandem naturam, omniumq; utilitatem esse communem.
Quod si ita est: una continentur omnes & eadem lege naturæ.

Idq; ipsum si ita est: certè violare alterum, lege naturæ prohibemur. Ergo
Si natura præscribit ut homo homini consultum velit: violare alterum, lege naturæ prohibemur.

Quo loco notandum, si sorites ex puris connexis enunciatis constet: firmũ esse posse, etiamsi omnia enunciata negantia habeat, sed quibus tamen non negetur connexio, sed potiùs negatio negationi connectatur. ut
» apud Cic. de Fato: At si caussa appetitus non est sita in
» nobis: ne ipse quidem appetitus est in nostra potestate.
» quod si ita est: ne illa quidem quæ appetitu efficiuntur,
» sita in nobis sunt. Non igitur neque assensiones, neque
» actiones, in nostra potestate. Ex quo efficitur, ut neque
» laudationes justæ sint, nec vituperationes, nec honores,
» nec supplicia. Quod quum vitiosum sit: probabiliter cõ-
» cludi putant: non omnia fieri fato quæcunq; fiant. Hactenus Cicero. Talæo videtur esse syllogismus connexus modi secundi: cujus propositio soritẽ habeat quinq; graduum. Mihi similiter ut antea, videntur esse syllogismi duo: nempe syllogismus connexus secundi modi, & soritès quo illius propositio approbatur. Quæstio est, an omnia fiăt fato? Hujus quæstionis negationem concludit Cicero syllogismo connexo secundi modi, sic:

Si caussa appetitus non est sita in nobis: ex eo efficitur, ut neq; laudationes justæ sint, nec vituperationes, &c.
Sed laudationes & vituperationes sunt justæ.
Ergo caussa appetitus est sita in nobis: & per consequens, non omnia fiunt fato.

Hujus syllogismi propositionem approbat hoc sorite,
Si caussa appetitus non est sita in nobis, ne ipse quidem appetitus est in nostra potestate.
Si appetitus non est in nostra potestate: ne illa

illa quidem quæ appetitu efficiuntur,
sita in nobis sunt.
Si illa quæ appetitu efficiuntur, non sunt sita in nobis: non igitur neq; assensiones,
neq; actiones, in nostra potestate sunt.
Si neq; assensiones neq; actiones in nostra potestate sunt: ex eo efficitur, ut neq; laudationes justæ sint, neque vituperationes, nec honores, nec supplicia. Ergo
Si caussa appetitus non est sita in nobis: sequitur, nec laudationes, nec vituperationes, &c. justas esse.

Atque hæc de sorite. Sunt & qui dilemma pro nova & peculiari argumentationis specie habeant: atque id cornutum argumentandi genus vocant, quia duobus utrinque veluti cornibus feriat: quum tamen dilemma nihil aliud sit quám syllogismus disjunctus cum duobus connexis, ita ut in unoquoque dilemmate tres syllogismi sint. Exempli gratia:

Si improbus est, cur uteris?
Si probus, cur accusas?

Hîc tres syllogismi sunt: Primus, connexus modi primi: quo concluditur quæstio proposita:

Si probus est, non debes accusare:
Sed est probus: Ergo
Non debes accusare.

Secundus, disjunctus: isque prosyllogismus assumtionis syllogismi principalis:

Aut improbus est, aut probus:
Non autem improbus:
Probus igitur.

Tertius, connexus secundi modi: isque prosyllogismus assumtionis prosyllogismi primi:

Si improbus esset, non eo uterer is:
Atqui uteris:
Non igitur improbus est.

Joan.18,23. Christus quum á ministro pontificis maximi injusté cæsus esset, tali dilemmate eum reprehendit:

Si malé loquutus sum: testare de malo.
Sin bene: cur me cædis?

Quæstio est, an justé eum percusserit? Dominus negat: & negationem dilemmate probat, quod his tribus syllogismis constat.

Primus, connexus primi modi:

Si bene loquutus sum, injusté me cædis:
Sed bene loquutus sum: Ergo
Injusté me cædis.

Secundus, disjunctus: isq; prosyllogismus assumtionis syllogismi principalis:

Aut bene loquutus sum, aut malé:
Non autem malé loquutus sum:
Bene igitur.

Tertius, connexus modi secundi: isque prosyllogismus assumtionis prosyllogismi primi:

Si malé loquutus sum: testare de malo.
At non potes testari de malo.
Non igitur malé loquutus sum.

Celebre est Biantis dilemma de non ducenda uxore: " Aut enim pulchram, inquiebat, duces: aut deformem. Si " pulchram: habebis κοινήν. sin deformem: ποινήν. Utrun- " que non est bonum. Igitur uxor ducenda non est. Hîc similiter tres syllogismi sunt:

1.

Omnis uxor aut pulchra est, aut deformis:
Neutra ducenda est:
Nulla igitur prorsus ducenda est.

2.

Si pulchram duxeris: habebis κοινήν:
Atqui non est habenda κοινή: *non enim bonū.*
Ergo pulchra ducenda non est.

3.

Si deformem duxeris: habebis ποινήν:

At

At non est habenda πονή*: non enim bonum.*
Ergo deformis non est ducenda.

Utroque prosyllogismo approbatur propositio minor syllogismi principalis; priore prius illius membrum, posteriore posterius. Sed hîc propositio minor syllogismi principalis falsa est: falsa item major in prosyllogismo utroque, quatenus neutra est κατὰ παντός. nam nec omnis pulchra uxor est κοινὴ, nec omnis deformis πονή: quippe uxor casta & pia neq; κοινὴ est, si formosa: neque πονὴ, si deformis sit. nam castitas atque pietas & prostitutionem impedit, & deformitatem compensat.

Cap. 10. de syllogismo *simplici contracto.*

Syllogismus, est simplex aut compositus: Simplex, ubi pars consequens quæstionis disponitur in propositione: pars antecedens in assumtione: estq; affirmatus, é partib. omnib. affirmatis; negatus, é negata antecedentiũ partium altera cum cõplexione: generalis, é propositione & assumtione generalibus: specialis, ex altera tantúm generali: proprius, ex utraque propria. Simplex syllogismus, est contractus partibus vel explicatus. Contractus, quando argumentum pro exemplo ita subjicitur particulari quæstioni, ut utramque partem antecedens & assumtione affirmatum intelligatur:

Quædam confidentia est virtus, ut constantia.
Quædam confidentia non est virtus, ut audacia.

Hîc enim argumentum, quæstionis utramque partem antecedere intelligitur, tanquam

esset expressum, Constantiam esse virtutem & confidentiam: ideoque quandam confidentiam esse virtutem: item, Audaciam non esse virtutem, & tamen esse confidentiam: ideoque quandam confidentiam non esse virtutem. Sic usus differendi, magister syllogistici judicii contrahitur, nec aliter explicatur. Atque ista expositio principium syllogismi partibus explicati ab Aristotele efficitur, tanquam per se pleno syllogismi judicio sit clarior & illustrior.

Simplex aut compos.] Hæ appellationes ex argumenti dispositione sumtæ sunt: quod aut disponitur cũ quæstionis partibus sigillatim, aut cum tota quæstione, id est, cum utraque quæstionis parte conjunctim. Vulgó divisio ista traditur his verbis, Syllogismus aut est categoricus aut hypotheticus: quæ appellationes á partibus, id est, enunciatis é quibus syllogismi constant, desumtæ sunt. Cæterúm de illa divisione idem sentiẽdum est quod de divisione propositionis consimili: de qua diximus in caput 5. Aliás appellari possit syllogismus simplex qui unicus est, id est, qui unicam conclusionem cõcludit, sive is é simplicibus sive é compositis enunciatis constet: Compositus autem, qui multiplex est, id est, qui non unam tantúm conclusionem, sed duas pluresve cõcludit: cujusmodi syllogismus sorites dicitur. *Pars consequens quæstionis*] Non autem tota quæstio, ut fit in syllogismo composito. Quæstionis vocabulum hîc intellige út suprá cap. 8. nempe partim per synecdochen generis, de quæstione conjuncta: partim per metonymiam adjuncti, de enunciato dubio quod in quæstionẽ vocatur, seu de quo quæstio movetur. *Consequens*] Vulgó prædicatum, item terminus major. *In propositione*] Vulgó, In propositione majore. *Antecedens*] Vulgó

Vulgó ſubjectum, item terminus minor. *In aſſumtione*] Vulgó, In propoſitione minore. Hæc igitur ſyllogiſmi ſimplicis definitio vulgó comprehęderetur his verbis, Syllogiſmus categoricus eſt, in quo uterque terminus quæſtionis cum medio ſingulatim diſponitur, major quidem in propoſitione majore, minor veró in minore. *Eſtque affirmatus*] Sequitur duplex diviſio ſyllogiſmi ſimplicis: altera in affirmatum aut negatum: altera in generalem, aut ſpecialem, aut proprium. Quarum diviſionum prior non videtur eſſe καθόλȣ πρῶτον, id eſt reciproca: cúm ſimiliter dividi poſſit ſyllogiſmus compoſitus: in poſteriori autem partes duæ poſteriores non ſunt inter ſe diſſentaneæ, ſed conſentaneæ: nam proprius ſyllogiſmus eſt etiam ſpecialis: eſt enim illius ſpecies: plané ut enunciatum proprium enunciati ſpecialis ſpecies eſt: ut traditum eſt cap. 4. Poſterior itaque diviſio ſic fuerat proponenda: Syllogiſmus ſimplex aut generalis eſt aut ſpecialis: ſpecialis autem rurſum aut infinitus aut proprius. Vel potiús ad hunc modum: Syllogiſmus ſimplex aut univerſalis eſt, aut particularis, aut ſingularis: Univerſalis, cujus concluſio eſt univerſalis: particularis, cujus particularis: ſingularis, cujus ſingularis. Sed hîc appellationes uſitatæ modorum, utiliores ad docendum videntur eſſe: de quibus dicemus pauló póſt. *Contractus partibus*] Author ſtudio dichotomiæ, trichotomiam Ariſtotelis in tres figuras neglexit: & ſtudio methodi, ex tertia figura primam, & viciſſim ex prima tertiam fecit. *Quando argumentum*] Tertia figura Ariſtotelica vulgó ſic definitur: Tertia figura eſt in qua medium eſt ſubjectum in utraque præmiſſa. Porró ſpecies ſyllogiſmorum ſub ſingulis generibus ſeu figuris comprehenſæ, vulgó appellantur modi, & artificialibus quibuſdam vocabulis nominantur: quorum ſingulæ ſyllabæ ad ſingula ſyllogiſmi enunciata applicantur, ad indicandum eorum tum qualitatem, tum quantitatem, tum etiam in ſecunda & tertia figura, reductionis requiſita, id eſt, ea quæ requiruntur quæque fieri opor-

tet quum ſyllogiſmi ſecũdæ & tertiæ figuræ ad primam figuram reducuntur, id eſt, ſyllogiſmis primæ figuræ permutantur. Illa vocabula his quatuor verſibus continentur:

1. *Barbara, Celarent, prima, Daris, Ferioq;:*
2. *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, ſecunda:*
3. *Tertia grande ſonans tibi dat Darapti, Felapton:*
4. *Adjungens Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.*

In quib. vocabulis obſervandæ ſunt quatuor vocales, A, E, I, O: quatuor item conſonantes initiales, B, C, D, F: nec non quatuor conſonantes mediæ, S, P, M, C. Vocales indicant propoſitionum ſeu enunciationum ſyllogiſmi quantitatem & qualitatem:

nempe A univerſalem affirmativam.
E univerſalem negativam.
I particularem affirmativam.
O particularem negativam.

Conſonantes initiales admonent, qui modi ad quos reducendi ſint, nempe unuſquiſque ad eum modum primæ figuræ qui incipit ab eadem litera: ut ad Barbara reducuntur Baroco & Bocardo: ad Celarent reducuntur Ceſare, Cameſtres, &c. Conſonantes mediæ indicãt requiſita reductionis, juxta hos duos verſus,

S vult ſimpliciter verti, P veró per acci.
M vult transponi, C per impoſsibile duci:

Id eſt, S, P, M, C indicat:
S — Simplicem converſionem.
P — Per accidens converſionem.
M — Mutationẽ loci ſeu μετάθεσιν, id eſt, tranſpoſitionem præmiſſarum.
C — Cõtradictoriã propoſitionẽ, ſeu cõcluſionem abſurdam.

His appellationibus nos adjiciemus plures: accõmodatas modis ſyllogiſmorum propriorum quos in ſingulis figuris noſter author obſervavit: ut in tertia *Durupti* & *Fylupton*: in ſecũda, *Cyſury* & *Cumyſtrys*: in prima, *Burburu* & *Cyluryut*. In quibus vocabulis, vocalis U enunciatio-

ciationem singularem affirmativam; Y veró singularē negativam indicat. Quas quidem recens á nobis confictas memorativas voces nō pejús aures tyronum, quám veteres illas jam usu tritas, feritur as judicamus. Sed quibus aures nimium tenerę sunt, iis illas ad harum vocum sonum per me quidem obturare licebit.

Tertię igitur figuræ sex traduntur modi: Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. His noster author duos alios olim adjecit, eorum scilicet syllogismorum qui vulgó Expositorii dicuntur: quorum videlicet medium seu argumentum est res singularis seu individuum. Dicuntur autem Expositorii, quod terminus minor per medium exponatur, tanquam per exemplū speciale. Verúm istiusmodi expositio etiam in cęteris modis locum habet: ut non sit καθόλȣ πρῶτον, id est, propria expositoriorum (qui dicuntur) syllogismorum. Porró exempla olim ab authore proposita, vulgó in scholis sic proponerentur:

1.

Da	O.	*constantia est virtus:*
rap	O.	*constantia est confidentia:* *Ergo*
ti	Q.	*confidentia est virtus.*

2.

Fe	N.	*audacia est virtus:*
lap	O.	*audacia est confidentia:* *Ergo*
ton	Q.	*confidentia non est virtus.*

3.

Dis	Q.	*sapiens est dives:*
am	O.	*sapiens est laudabilis:* *Ergo*
is	Q.	*laudabilis est dives.*

4.

Da	O.	*sapiens est laudabilis:*
tis	Q.	*sapiens est pauper:* *Ergo*
i	Q.	*pauper est laudabilis.*

5.

Boc *Q. docti non sunt boni:*
ar *O. docti norunt veritatem: Ergo*
do *Q. qui norunt veritatem, non sunt boni.*

6.

Fe *N. stultus est beatus:*
ris *Q. stultus est fortunatus: Ergo*
on *Q. fortunatus non est beatus.*

7.

Du *Socrates est philosophus:*
rup *Socrates est homo: Ergo*
ti *Q. homo est philosophus.*

8.

Fy *Thersites non est philosophus:*
lup *Thersites est homo: Ergo*
ton *Q. homo non est philosophus.*

Contrahitur] Atque hæc caussa P. Ramo fuit, ut modos illos syllogismorum explicatorum tertiæ figuræ Aristotelicæ, olim á se traditos, expunxerit. Quanquam ejusmodi contractio syllogismorum qualis hîc ab authore proponitur, syllogistica non videtur: quoniam argumentum non enunciatur ut ratio seu probatio, sed ut declaratio. nam particula UT, sic usurpata, non probandi, sed declarandi potestatem habet: ad probandum autem adhibēda est particula rationalis aut caussalis, Nam vel Quia: & ita dicendum: Quædam confidentia est virtus: nam constantia est virtus. quod jam enthymema est, cui deest assumtio. *Expositio*] Qua scilicet exponitur quæstionis antecedens, tanquam genus, per speciem seu exemplum: cujus nota est conjunctio Ut. hinc factum puto, ut syllogismi hujus figuræ expositorii dicti sint.

CAP. II. DE PRIMA SPECIE SYL-
logiſmi ſimplicis explicati.

In ſyllogiſmo explicato″propoſitio eſt″generalis aut propria, & concluſio ſimilis″antecedenti aut″parti″debiliori: Species duæ ſunt, prima ubi″argumentum″ſemper″ſequitur, negatum in″altera parte.

GEN. I.

Ceſ *Turbatus non bene utitur ratione:*
a *Sapiens bene utitur ratione:*
re *Sapiens igitur non eſt turbatus.*

Hoc judicium ita fit á Cic. 3. Tuſc. Et quemadmodum (ait) oculus cõturbatus, non eſt probé affectus ad ſuum munus fungendum: & reliquæ partes, totumque corpus á ſtatu cúm eſt motum, deeſt officio ſuo ac muneri: ſic conturbatus animus nõ eſt probé affectus ad exequendum munus ſuum. Munus autem animi eſt, ratione uti: & ſapientis animus ita ſemper affectus eſt, ùt ratione optimé utatur: nunquam igitur eſt perturbatus.

GEN. 2.

Cam *Res mortalis eſt compoſita:*
es *Animus non eſt compoſitus:*
tres *Animus igitur non eſt mortalis.*

Cic. 1. Tuſc.″hoc ſyllogiſmo judicat, animũ immortalem eſſe. In animi autem cognitione (inquit) dubitare non poſſumus, niſi forté in phyſicis plumbei ſumus, quin nihil ſit animis

„ admixtum, nihil concretum, nihil copulatum,
„ nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cùm
„ ita ſit; certé nec ſecerni, nec dividi, nec diſcerpi,
„ nec diſtrahi poteſt: nec interire igitur. Eſt enim
„ interit⁹; quaſi diſceſſus & ſecretio ac diremtus
„ earum partium, quę antę interitum junctione
„ aliqua tenebántur.

SPEC. I.

Feſ *Lividus non eſt magnanimus:*
ti *Maximus eſt magnanimus:*
no *Maximus igitur non eſt lividus.*

Hoc judicio Ovid 3. de Pont. Eleg. 3. concludit:

Livor, iners vitium, mores non exit in altos,
Utq; latens ima vipera ſerpit humo:
Mens tua ſublimis ſupra genus eminet ipſum,
Grandius ingenio nec tibi nomen ineſt.
Ergo alii noceant miſeris, optentq; timeri,
Tinctaq; mordaci ſpicula felle gerant.
At tua ſupplicibus domus eſt aſſueta juvandis,
In quorum numero me precor eſſe velis.

SPEC. 2.

Ba *Saltátor eſt luxurioſus:*
roc *Murena non eſt luxurioſus:*
o *Murena igitúr non eſt ſaltator.*

„ Cic. pro Mur. Nemo .n. feré ſaltat ſobrius,
„ niſi forté inſanit, neq; in ſolitudine, neq; in cō-
„ vivio moderato atque honeſto: Intēpeſtivi cō-
„ vivii, amœni loci, multarū deliciarū comes eſt
ex-

extrema ſaltatio : Tu mihi arripis id, quod «
neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremū: «
relinquis illa, quibus remotis hoc vitiū omni- «
no eſſe non poteſt: nullum turpe convivium, «
non amor, nō comeſſatio, non libido, nō ſum- «
ptus oſtēditur: & cúm ea non reperiantur, quæ «
voluptatis nomen habēt, quæque vitioſa ſunt, «
in quo ipſam luxuriam reperire non potes, in «
eo te umbram luxuriæ repertutum putas? Hoc «
judicii modo Ovidius 1. Triſt. Eleg. 1. tripliciter concludit, dum carminum ſuorum excuſationem exponit:

Carmina proveniunt animo deducta ſereno:
Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.
Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt:
Me mare, me venti, me fera jactat hyems.
Carminibus metus omnis abeſt: ego perditus enſem
Haſurum jugulo jam puto jamq; meo.
Hæc quoq; quæ facio, judex mirabitur æquus:
Scriptaq; cum venia qualiacunq; leget.

PROPR. I.

Cyſ *"Ageſilaus non eſt pictus ab Apelle:*
u *Alexander eſt pictus ab Apelle:*
ry *Alexander igitur non eſt Ageſilaus.*

PROPR. 2.

Cum *Cæſar oppreſſit patriam:*
yſ *Tullius non oppreſſit patriam:*
trys *Tullius igitur non eſt Cæſar.*

In hoc capite agit de ſecunda figura Ariſtotelis: quæ vulgó ſic definitur, In qua medium eſt prædicatum in utraque præmiſſa. *Propoſitio*] Vulgó propoſitio major. *Generalis aut propria*] Vulgó univerſalis aut ſingularis. *Antecedenti*] Utrique præmiſſæ. *Parti*] Præmiſſæ. *Debiliori*] Nempe negativæ, item particulari. *Argumentum*] Vulgo medium. *Semper*] Id eſt, in utraque præmiſſa. *Sequitur*] Prædicati locum tenet. *Altera parte*] Præmiſſa vel majore, vel minore. *Hoc ſyllogiſmo*] At non principaliter hoc, verúm iſto:

Quod interit, id in partes dirimitur:
Animus non poteſt in partes dirimi:
Animus igitur non poteſt interire.

Ad hujus ſyllogiſmi aſſumtionem probandam adhibetur hic proſyllogiſmus:

Quicquid in partes dirimi poteſt, id compoſitum eſt:
At animus non eſt compoſitus:
Animus igitur non poteſt in partes dirimi.

Ageſilaus] Sequentes duo modi in quibus præmiſſæ ſunt propoſitiones ſingulares, ſeu (ut noſter author loquitur) enunciata propria, vulgó non traduntur: ſed non minorem ſuperioribus modis firmitatem habent, atque etiam æqué frequentem uſum habere poſſint: ut quum de duobus quæritur, utrum ſit unus & idem: Multi enim binomines ſunt: & aliter ab hoc, aliter ab illo nominantur. Sæpé etiam duo idem nomen habent, ut unus & idem eſſe putari poſſit. Argumenta igitur quibus ejuſmodi perſonæ diſcernuntur, aut etiam aliæ res ſingulares ſuis propriis nominibus appellatæ, in hac figura concluduntur. Quapropter utiliter ab authore hi modi annotati ſunt. Liquet autem ex hujuſmodi ſyllogiſmis, vulgo perperam in doctrina ſyllogiſmorũ propoſitiones ſingulares haberi pro particularibus. Nam ex puris particularibus nihil ſequitur: at ex puris ſingularibus non nihil ſequitur, ſed firmiter ex iis concluditur: ut liquet ex ſyllogiſmis propoſitis. Quin potiús in con-

concludendo propositiones singulares universalium vim habere videntur: hoc certé cum illis commune habent, quód definitæ sunt, hoc est, quód subjectum earũ rem certam ac definitam indicat: quum contrá particulares indefinitæ sint, hoc est, quarum subjectum nihil certi ac definiti indicat, sed animum auditoris per varias species vagari sinit, incertum de qua aut quibus enunciatum sit. Atque hinc Scholasticorum individuum vagum nominatum arbitror: ut cúm dicitur, Quidam philosophus Atheniensis cicutam bibit. ubi non indicatur quis ille fuerit, nempe Socrates. Sic Christus discipulis dicebat in postrema cœna, Unus vestrûm me prodet. Unde illorum animus vagari incipiebat, & quod indefinitè dictum erat, quisque sua ipsius persona interrogando definire, dicendo, Domine, num ego sum? At ipse postea definité ad Judam Iscariotem applicabat.

CAP. 12. DE SECUNDA SPECIE *syllogismi simplicis explicati.*

Secunda species explicati syllogismi est, quãdo "argumentum" antecedit" in propositione, "sequitur" affirmatum" in assumtione.

AFF. GEN.

Bar *Omne justum est utile:*
ba *Omne honestum est justum:*
ra *Omne igitur honestum est utile.*

Quod Cic. 2. Offic. ita concludit: Summa « quidem authoritate philosophi, severé sané atque « honesté hæc tria genera confusa, cogitatione « distinguunt: Quidquid enim justum sit, « id etiam utile esse censent: Itemque, quod ho- « nestum, idem justum: ex quo efficitur, ut quid- « quid honestum sit, idem sit utile. «

NEG. GEN.

Ce *Timidus non est liber:*
la *Avarus est timidus:*
rent *Avarus itaq; non est liber.*

Hoc ita concluditur & judicatur ab Horatio 1. Epist.

Quo melior servo, quo liberior sit avarus,
In triviis fixum cúm se demittit ob assem,
Non video: nam qui cupiet, metuet quoque: porró
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.

Sic Terét. in Eunucho concludit & judicat:
Consilii expers, consilio regi non potest:
Amor est consilii expers:
Consilio itaq; regi non potest.

Syllogismus his verbis sequitur:
Here, quæ res in se neq; consilium neq; modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
In amore omnia hæc insunt vitia: injuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum: incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quám si des operam, ut cum ratione insanias.

AFF. SPEC.

Da *Consules virtute facti, studiosé Remp. tueri debent:*
ri *Cicero est virtute factus Consul:*
i *Cicero igitur Remp. studiosé tueri debet.*

Sic

Sic Orator diligentiam suam Agrar.2. concludit & judicat: Nam cúm omnium Consulũ « (ait) gravis in Republ. custodienda, cura ac diligẽtia debet esse, tum eorum maximé qui nõ « in incunabulis, sed in cãpo sunt Consules facti: « Nulli populo Romano pro me majores nostri « spoponderunt, mihi creditum est: á me petere, « quod debeo, me ipsum appellare debetis. « Quemadmodum cúm petebam, nulli me au- « thores generis mei vobis commendarunt: sic « si quid deliquero, nullæ sunt imagines quæ me « á vobis deprecẽtur. Quare modó ut vita suppe- « tat (quanquam ego sum is, qui eam possim ab « istorum scelere insidiisq; defendere) polliceor « hoc vobis, Quirites, bona fide, Remp. vigilanti « homini, nõ timido; diligenti, non ignavo com- « misistis.

Quod optatum redierit, gratum est:
Lesbia Catullo optata rediit:
Grata igitur est.

Catullus sic concludit:

Si quicquam cupidoque optantique obtigit unquam &
Insperanti, hoc est gratum animo proprié:
Quare hoc est gratum, nobis quoque charius auro,
Quód te restituis, Lesbia, mî cupido:
Restituis cupido, atq; insperanti ipsa refers te
Nobis. ô lucem candidiore nota!

Quis me uno vivit felicior? aut magis hac quid
Optandum vita, dicere quis poterit?

NEG. SPE.

Fe *Deceptor amantis puellæ non est laudandus:*
ri *Demophoon est deceptor amantis puellæ, ut Phyllidis:*
o *Demophoon igitur non est laudandus.*

Phyllis apud Ovidium ita judicat Demophoontem laudandum non esse:

Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria: simplicitas digna favore fuit:
Sum decepta tuis & amans & fœmina verbis,
Dii faciant laudis summa sit ista tuæ.

AFF. PRO.

Bur *Octavius est hæres Cæsaris:*
bu *Ego sum Octavius:*
ru *Sum igitur hæres Cæsaris.*

NEG. PRO.

Cy *Antonius non est filius Cæsaris:*
lu *Tu es Antonius:*
rynt *Non es igitur filius Cæsaris.*

Agit in hoc capite de prima figura Aristotelis: quæ vulgo sic definitur, Prima figura est in qua medium in majore præmissa est subjectum, in minore prædicatum. *Argumentum*] Vulgo, medium. *Antecedit*] Vulgo, subjectum est. *In propos.*] Vulgo, in præmissa majore. *Sequitur*] Vulgo, prædicatum est. *Affirm.*] Juxta regulam, In prima figura ex minore negativa nihil sequitur, id est, nihil concluditur. *In assumt.*] Præmissa

mino-

minore. *Hoc ita*] Non plané hoc quod præcedente syllogismo est expositū, nec plané ita ut est expositum. Concluditur enim non simpliciter, *Avarum non esse liberum*: sed *in trivis fixum quum se demittit ob assem*. Et hæc negatio concluditur sorite trium graduum, ad hunc modum:

Avarus quum ob assem se demittit, cupit:
Qui cupit, is etiam metuit:
Qui metuit, is non est liber:
Ergo avarus quum ob assem se demittit, non est liber.

Hoc sorite continentur duo syllogismi: quorum principalis hic est:

Qui metuit, non est liber:
Avarus quum ob assem se demittit, metuit:
Ergo avarus quum ob assem se demittit, non est liber.

Prosyllogismo approbatur assumtio syllogismi principalis, ad hunc modum:

Qui cupit, is quoq; metuit:
Avarus quum ob assem se demittit, cupit:
Ergo avarus quum ob assem se demittit, metuit.

Sic] Pauló aliter, nempe ad hunc modum:

Quod optatum obtingit, gratum est:
Lesbia reditus Catullo optatus obtigit:
Ergo Lesbia reditus Catullo gratus est.

Octavius] Sequentes duos modos, itidem ut in secunda figura, vulgari doctrinæ adjecit noster author: in quibus præmissæ sunt propositiones singulares seu enũciata propria: minor autem est propositio (ut vocant) identica: quippe in qua idẽ de seipso dicitur, nempe nomen proprium de ea persona aut re cujus est proprium. Quo loco obiter admonere libet, in verbis Domini de pane sacræ cœnæ, *Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus*: non esse propositionem identicam, neque qua-

lem Papistæ ponunt, neque qualem posuit Lutherus ejusque discipuli, nec denique qualem Carolostadius. Nã Papistæ quidem pronomen *Hoc* in priore enunciato referunt ad corpus Christi tanquam sub specie panis latẽs, in posteriore ad sanguinem Christi tanquam latentem sub specie vini: Lutherus autem retulit ad illa tanquam latentia sub ipso pane & ipso vino: Carolostadius veró ad corpus Christi in mensa sedens, sanguinẽque in illius venis contentum retulit. Nulla harum expositionum vera est: Carolostadii tamen expositio veriús ponit propositionem identicam quám reliquæ: quia pronomen *Hoc* ad verum Christi corpus refert: reliquę autem ad fictitium & invisibile Christi corpus sub specie panis aut ipso pane: quale corpus si maximé esset, non tamen esset idem cum corpore Christi vero, visibili scilicet & palpabili. Malé vertitur, *Hic est sanguis meus*. nã hoc perinde est ac si diceretur, Hic sanguis est sanguis meus. Atqui pronomen τοῦτο non ad sanguinem Christi, sed ad poculum refertur: ut liquet ex contextu, & declaratione apud Lucam & Paulum: ubi habetur τοῦτο τὸ ποτήριον, id est, Hoc poculum.

CAP. 13. DE SYLLOGISMO *connexo primo.*

Adhuc syllogismus simplex fuit: syllogismus "compositus, est syllogismus, ubi" tota quæstio est pars" altera" propositionis" affirmatæ & cõpositæ: argumentum est pars reliqua." Tollere autem in composito syllogismo, est specialem contradictionẽ ponere. Syllogismus compositus, est" connexus aut disjunctus. Syllogismus cõnexus, est syllogismus compositus propositionis connexæ; estque duorum modorum. primus modus syllogismi connexi est, qui assumit antecedens, & consequens concludit. Quo-

Quomodo Cicero judicat & concludit lib.2.de Divinat.

"Si dii sunt, divinatio est:
Sunt autem dii:
Divinatio est igitur.

3.Offic."Atque si etiam hoc natura præscribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam caussam, quòd is homo sit, consultum velit, necesse est secundum eandem naturam, omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est, una cõtinemur omnes & eadem lege naturę: Idque ipsum si ita est, certé violare alterum legę naturæ prohibemur: verum autem primum, verum igitur & extremum.

Sic Æneid.4.Dido judicat, Æneæ remanendum esse:

Mene fugis? per ego has lachrymas dextramq; tuam, te
Quando aliud mihi jam misera nil ipsa reliqui,
Per connubia nostra, per inceptos hymenæos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum: miserere domus labentis, & istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem:
Te propter Libycæ gentes Nomadumque tyranni
Odêre, infensi Tyrii: te propter eundem
Extinctus pudor, & , qua sola sydera adibam,
Fama prior: cui me moribundam deseris hospes?

Frequenter hîc non assumitur idem, sed ma-
„ jus: ut 1. Catil. Si te parentes timerent atque
„ odissent tui, neque illos ulla ratione placare
„ posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquó con-
„ cederes: nunc te patria (quæ communis est o-
„ mnium nostrûm parens) odit ac metuit, & jam
„ diu nihil de te judicat, nisi de parricidio suo co-
„ gitare: hujus tu neque authoritatem verebe-
„ re? neque judicium sequêre? neque vim perti-
„ mesces? Concludendi modus hic idem est, quando propositio est relata temporis: quo genere nympha OEnone apud Ovidium concludit errorem stultitiæ suæ:

Cúm Paris OEnone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua:
Xanthe retró propera, versæq; recurrite lymphæ:
Sustinet OEnonen deseruisse Paris.

Compositus] Vulgó hypotheticus. *Tota quæstio*] Non pars tantúm quæstionis, ut in simplici seu categorico. Quæstio autem, id est propositio probanda seu enunciatum dubium de cujus veritate quæritur. Metonymia adjuncti. *Altera*] Sive antecedens, sive consequens. Etsi enim propositio syllogismi cõpositi ex pluribus quám duobus simplicibus enunciatis constare possit: tamen quotquot eorum fuerint, semper ad duo revocari possunt, quorum alterum antecedentis, alterum consequentis rationem habeat. hoc de enunciatis connexis planum est. de disjunctis autem nôn minús verum est: quoniam disjuncta in connexa mutari possunt. *Propositionis*] Vulgo vocant propositionem majorem, & in syllogismis hypotheticis Copulatum. *Affirmatæ*] Unde pendeat affirmatio & negatio in enunciato composito, vide suprá cap. 4. nempe ex ipsa conjun-

conjunctione qua enunciata inter se componũtur: quo fit ut enunciatum compositum affirmativum esse possit, etiamsi é simplicibus negativis constet: ut, Si non est resurrectio mortuorum: etiam Christus non resurrexit. Enunciatum connexum est, constans é simplicibus negatis: at ipsum tamen affirmatum est: affirmatur enim ipsa consequentia seu consequutio, quód scilicet posterius ex priori sequatur. quasi dictum esset, Si nõ est resurrectio mortuorum; sequitur ex eo, Christũ non resurrexisse. Cæterúm quod hîc dicitur, non videtur esse *κατὰ παντός*: efficitur enim syllogismus compositus etiã é propositione negata: ut ipse author tradit infrá cap. 15. nempe é propositione copulata negata: ut,

Non & dies est & nox est:
At dies est:
Nón igitur nox est.

Sed notandum, ejusmodi enunciatum æquipollere connexo, cujus prior pars affirmata, posterior negata sit: ac si diceretur, Si dies est, nox non est: Vel, Si nox est, dies non est. Hujusmodi autem connexum affirmatum est, quia affirmatur consequentis enunciati ex antecedente consequutio: quasi diceretur, Si dies est, sequitur noctem non esse. *Tollere autem*] Quia póst in definitionibus modorum utetur tollẽdi verbo, priús illud declarat: ne quis putet, *tollere* idem esse quod *negare*. Tollere igitur, inquit, in syllogismo composito, est specialẽ contradictionem ponere. Uno verbo, est Contradicere. Contradicitur autem ut affirmationi negando, sic negationi affirmando. Specialem autem contradictionem vocat, qua vel de specie negatur quod de toto genere (atque ita etiam de illa specie) fuit affirmatum: vel contrá. item qua de specie aliqua specialissima, id est (ut vulgó vocant) individuo seu re singulari idem affirmatur & negatur. *Assumere* autem in syllogismo composito, est repetere alteram propositionis partem, talem qualis est in ipsa propositione, videlicet affirmatam affirmaté, negatam negaté. *Connexum aut*

disjunctus] Vulgó, Syllogismus hypotheticus est aut cōditionalis aut disjunctivus. Plura genera nō sunt: nam enūciatum copulatum si affirmatum sit, ἀσυλλόγιστον est: si negatum, æquipollet connexo, ut dictum est: discretivum denique enunciatum ἀσυλλόγιστον quoque est. *Si Dii sint*] Illustremus hūc locum exemplis sacrarum literarum. Matth. 6,

vers. 30. *Si herbam agri vestit Deus, multó magis vestiet suos filios.*
vers. 29. *At herbam agri vestit Deus.*
vers. 31. *Ergo multo magis vestiet suos filios.*

Matth. 7. *Si vos nostis dona bona dare liberis vestris;*
vers. 11. *multo magis pater vester qui est in cœlis, dabit bona iis qui ab ipso petent.*
v. 9 & 10. *Sed vos nostis dona bona dare liberis vestris.*
vers. 8. *Ergo multo magis Deus dabit bona petentibus.*

Marc. 9. ait Christus patri cujusdam habentis spiritū » impurum, ipsiusque opem imploranti, Si potes hoc cre» dere, omnia fieri possunt credenti. quasi dicat: Si credis, » ejiciam spiritum impurum. Assumit ille, Credo Domi» ne: succurre incredulitati meæ. Concludit Christus ipso facto, ejiciens illum spiritum.

Joan. 15, 20. Si me persequuti sunt (ait Dominus Apo» stolis) & vos persequentur. Assumtionem & conclusionē » supplendam relinquit; illam tanquam notam, hanc tanquam perspicuam. *Atque si*] Hujus syllogismi propositio continet soriten trium graduum, ac proinde tria enunciata connexa. Assumtio assumit antecedens enunciati primi: Conclusio concludit consequens enunciati postremi.

CAP. 14. DE SYLLOGISMO CON. 2.

Secundus modus connexi tollit cōsequens, ut tol-

ut tollat antecedens:

"Si ulli rei sapiens assentietur usquam, aliquando etiam opinabitur:

Nunquam autem opinabitur:

Nulli igitur rei assentietur.

Eodem syllogismo Ovidius 2. Trist. stultitiam suam judicat:

Si saperem, doctas odissem jure sorores,
Numina cultori perniciosa suo.
At nunc (tanta meo comes est insania morbo)
Saxa memor refero rursus ad icta pedem.

Hæ duæ syllogismi species sunt omnium usitatissimæ.

Si ulli rei] Nos hîc rursum afferamus exempla é sacris literis. Joan. 5, 46. ait Christus ad Judæos: Si crederetis « Mosi, crederetis mihi. At nõ creditis mihi: Ergo nec Mo- « si: & per consequens, Moses accusabit vos apud patrem meum. Assumtionem omittit ut notam: conclusionem item, ut perspicuam.

1. Cor. 15,

vers. 13 & 16. *Si resurrectio mortuorum non est, Christus quoque non est excitatus.*

vers. 20. *Nunc autẽ Christus excitatus est ex mortuis.*

Ergo resurrectio mortuorum est.

1. Cor. 11, 6. Nam si non velatur mulier, etiam tondea- « tur: quód si turpe mulieri tonderi aut radi, veletur. «

Si mulier non velanda, tondenda igitur.

Non autem tondenda: quia turpe.

Velanda igitur.

Gal. 3, 18. Nam si ex Lege est hęreditas, nõ jam ex pro- « missione: Abrahæ veró per promissionem gratificatus « est Deus hæreditatem. «

Si hæreditas est ex Lege, non est ex promissione:

Sed est ex promissione: sic enim cõtigit Abrahæ: Non igitur ex Lege.

" Sic Rom. 4, 14. Etenim si ii qui ex Lege sunt, hæredes sunt: inanis facta est fides, & vana reddita est promissio.

NOTA.

Reperiuntur quoque syllogismi connexi, in quibus tollitur antecedens, ut tollatur consequẽs: ut Joan. 15, 19.
" Si ex mũdo essetis, mundus quod suũ est amaret: quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo; propterea odit vos mundus.

Si ex mundo essetis, mundus vos amaret:
At ex mundo non estis: Ergo
Mundus non amat vos.

" Ibid. vers. 20. Si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt. Assumtionem & conclusionem cogitandam relinquit: nempe, Sed sermonem meum non servaverunt. Ergo nec vestrum servabunt. Ibid. vers. 22. Si non venissem & loquutus essem eis, peccatum nõ haberent: nunc autem non habent quod prętexant peccato suo. Assumtio tanquam nota omittitur, nempe, Sed veni & loquutus sum eis: notatur tamen conjunctione, Nunc autem. quasi dicat, Quia veni. Ibid vers. 24. Si opera non fecissem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderũt & me & patrę meum. Assumtio est, Sed feci opera, &c. Conclusio, Ergo peccatum habent, id est, excusationem non habent. Sed hîc notãdum, hujusmodi syllogismos tum demum firmiter concludere, cùm partes propositionis, id est (ut vulgo loquuntur) antecedens & consequens copulati inter se reciprocantur: secus ἀσυλλογισία committetur: ut,

Si homo est asinus, certè homo est animal:
Sed homo non est asinus: Ergo
Homo non est animal.

Hic

Hic ex veris præmissis conclusio falsa nata est: quia partes propositionis non sunt reciprocæ. At in reciprocis verum concluditur hoc modo: ut,

Si arbor sentit, certè arbor est animal:
Sed arbor non sentit: Ergo
Arbor non est animal.

Hinc perspicitur, hujusmodi syllogismos nō vi dispositionis argumenti, sed vi reciprocationis argumenti, cū altera propositionis parte, ac proinde vi secundi modi concludere. Si enim partes propositionis per reciprocationem traducantur, secundus syllogismi connexi modus existit: ut,

Si arbor est animal, arbor sentit:
Sed arbor non sentit: Ergo
Arbor non est animal.

Eadem planè ratio est cur aliquando in simplicibus seu categoricis syllogismis in prima figura ex minore negante, vera inferatur conclusio: ut Joan. 8, 47. ait Christus Judæis, Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Qui ex Deo est, verba Dei audit:
Vos ex Deo non estis: Ergo
Vos non auditis verba Dei.

Valet consequentia propter majoris reciprocationē, ac proinde vi secundæ figuræ: ut,

Ba *Qui verba Dei audit, ex Deo est:*
roc *Vos ex Deo non estis:*
o *Vos igitur non auditis verba Dei.*

CAP. 15. DE SYLLOGISMO *disjuncto primo.*

Syllogismus disjunctus, est syllogismus compositus propositionis disjūctæ. Modi duo sunt: Primus tollit unum, & reliquum concludit, ut:

Aut dies est aut nox est:
At dies non est:
Nox igitur est.

» Ciceronis pro Cluentio judicium tale est:
» Sed cúm esset hęc illi proposita conditio, ut aut
» justé pieque accusaret, aut acerbé indigneque
» moreretur: accusare quoquo modo posset,
» quám illo modo mori maluit. Disjunctio clarior sic erit:

Aut accusandum aut moriendum:
Non moriendum:
Accusandum igitur.

» Sic idem 2. Phil. ratiocinatur: Nunquam ne
» intelliges, tibi statuendum esse; utrúm illi qui i-
» stam rem gesserunt, homicidæ sint, an vindi-
» ces libertatis? Attende enim paulisper, cogita-
» tionemque sobrii hominis ad punctum tem-
» poris suscipe: & ego qui sum illorum, ut ipse fa-
» teor, familiaris: ut á te arguor, socius: nego quic
» quam esse medium: confiteor, illos, nisi libera-
» tores populi Romani conservatoresque Rei-
» publicę sint, plus quám sicarios, plus quám ho-
» micidas, plus quám parricidas esse: si quidem
» est atrocius, patriæ parentem, quám suum oc-
» cidere. Tu homo sapiens & considerate, quid
» dicis? Si parricidæ; cur honoris caussa á te sunt
» & in hoc ordine, & apud populum Rom. sem-
» per appellati? cur M. Brutus, te referente, le-
» gibus est solutus, si ab urbe plus quám decem
» dies abfuisset? cur ludi Apollinares incredibili

M. Bruti

M. Bruti honore celebrati? cur provinciæ Caſ- «
ſio & Bruto datæ? cur Quæſtores additi? cur «
Legatorum numerus auctus? Atque hæc acta «
per te: non igitur homicidæ: Sequitur ut libe- «
ratores tuo judicio ſint; quandoquidem tertiũ «
nihil poteſt eſſe. Si partes disjũctæ propoſitio- «
nis ſint duabus plures, judicandi concludendi-
que ars erit eadem. Sic Cicero judicat, Rabiri-
um cum conſulibus eſſe oportere: Atqui vide- «
mus (ait) hæc in rerum natura tria fuiſſe, ut aut «
cum Saturnino eſſet, aut cum bonis, aut laté- «
ret. Latére autem, mortis erat inſtar turpiſſi- «
mæ: cum Saturnino eſſe, furoris & ſceleris: vir- «
tus & honeſtas & pudor, cum Coſſ. eſſe co- «
gebat.

Cap. 16. de syllogismo *disjuncto ſecundo.*

Disjunctus ſecundus, é propoſitione parti-
bus omnibus affirmata aſſumit unum, & reli-
quum tollit, ut:

Dies eſt, aut nox eſt:
At dies eſt:
Nox igitur non eſt.

Sic Juno cum Jove de Turno concludit, 10. Æneid.

—Quid ſi quod voce gravaris,
Mente dares, atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet inſontẽ gravis exitus, aut ego veri
Vana feror: quod ut ô potiús formidine falſa

Ludar, & in melius tua, qui potes, orsa reflectas.

Ejusmodi syllogismus efficitur é propositione copulata negata, quæ negata complexio dicitur: quæque disjunctionis affirmatæ vim obtinet.

"*Non & dies est, & nox est:*
At dies est:
Non igitur nox est.

Nihil hic video annotandũ, quám quód syllogismi disjũcti ad connexos videantur posse revocari: permutatione scilicet propositionis, id est, enunciati disjuncti, in connexum. Nam quæcunque disjuncta enunciata vera sunt: eorum partes ita inter se comparatæ sunt, ut si una affirmetur, reliqua necessarió neganda sit: & vicissim, si una negetur, reliqua sit affirmãda. quo fit ut enũciata disjuncta in ejusmodi connexa transmutari possint: ut,

Aut dies est, aut nox est: *Ergo*
Si dies est, nox non est.
Et vicissim, *Si nox est, dies non est.*
Item, *Si dies non est, nox est.*
Et vicissim, *Si nox non est, dies est.*

Cæterúm unusquisque disjunctus syllogismus potest permutari duobus cõnexis: altero primi, altero secundi modi. Primi modi fit, quum assumitur pars antecedens: secundi, quum consequens.

Disjunctus primi modi.

Aut dies est, aut nox est.
At dies non est.
Nox igitur est.

Æquipollentes.

Connexus primi modi.

Si dies non est, nox est.
At dies non est.
Nox igitur est.

Non

Connexus ſecundi modi.

Si nox non eſt, dies eſt:
At dies non eſt.
Nox igitur eſt.

Disjunctus ſecundi modi.

Aut dies eſt, aut nox eſt.
At dies eſt.
Nox igitur non eſt.

Æquipollentes.

Connexus primi modi.

Si dies eſt, nox non eſt.
At dies eſt.
Nox igitur non eſt.

Connexus ſecundi modi.

Si nox eſt, dies non eſt.
At dies eſt.
Nox igitur non eſt.

Non & dies] Hujuſmodi quoque ſyllogiſmũ ad connexum revocari poſſe, admonuimus ſuprà in cap. 12. Idẽ enim eſt, ac ſi diceretur:

Connexus primi modi.

Si dies eſt, nox non eſt.
At dies eſt.
Non igitur nox eſt. Vel,

Connexus ſecundi modi.

Si nox eſt, dies non eſt.
At dies eſt.
Non igitur nox eſt.

Talis eſt & hic ſyllogiſmus:

Chriſtus non & verus homo eſt, & ſuo corpore ubiq; eſt.
At Chriſtus, verus homo eſt: teſte Scriptura.
Non igitur ubiq; eſt Chriſtus ſuo corpore.

Sic: *Nemo poteſt ſimul ſervire Deo & mammona.*
At omnis avarus ſervit mammona.
Nullus igitur avarus ſervit Deo.

Quanquã hic syllogismus simplex est: quum habeat simplicem argumenti cum partibus quæstionis dispositionem. Idem enim est ac si diceretur:

Ces *Nemo qui servit Deo, servit mammonæ.*
a *At omnis avarus servit mammonæ.*
re *Nullus igitur avarus servit Deo.*

Similiter syllogismus simplex esse potest, si maximè enũciata in eo omnia cõposita sint: cujusmodi sunt syllogismi qui vocãtur hypothetici διὰ τριῶν, per tria: item δι' ὅλου, per totum. Quarum appellationum posterior sori ti inprimis tribui videtur, si ex puris connexis constet. Utriusq; generis syllogismus formari potest ex verbis Apostoli 1. Corinth. 15, versibus 13, 14, 15, & 17.

Διὰ τριῶν.

vers. 14 & 15. *Si Christus non resurrexit: inanis est prædicatio nostra; inanis est & fides vestra; nosq; sumus falsi testes Dei.*
vers. 13. *Atqui si resurrectio mortuorũ nõ est: Christus non resurrexit.*
Ergo si resurrectio mortuorum non est, inanis est prædicatio nostra; inanis est & fides vestra, &c.

Δι' ὅλου.

vers. 13. *Si resurrectio mortuorum non est: Christus quoq; non est excitatus.*
14. *Si Christus non est excitatus: inanis est prædicatio nostra.*
14. *Si inanis est prædicatio nostra: inanis est & fides vestra.*
17. *Si inanis est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris.*
Ergo si resurrectio mortuorum non est: adhuc estis in peccatis vestris.

CAP. 17. DE METHODO SECUNdum *Aristotelem unica.*

"Metho-

"Methodus est dianoia variorum axiomatũ homogeneorum, pro naturæ suę claritate prępositorum; unde omnium inter se convenientia judicatur, memoriaque comprehenditur. Atque ut spectatur in axiomate veritas & falsitas, in syllogismo consequentia & inconsequẽtia: sic in methodo consideratur ut per se clari præcedat, obscurius sequatur; omninoque ordo & confusio judicatur. Sic disponetur ex homogeneis axiomatis primo loco absoluta notione primum, secundo secundum, tertio tertium, & ita deinceps: ideoque methodus ab universalibus ad singularia perpetuó progreditur. Hac enim sola & unica via proceditur ab antecedentibus omnino & absoluté notioribus ad consequentia ignota declarandum; eamque solam methodum Aristoteles docuit.

Cap. 18. de prima methodi *illustratione per exempla artium.*

Sed methodi unitatem exempla doctrinarum & artium pręcipué demõstrant pręcipuéque vindicant; quibus quámvis omnes regulæ generales sint & universales, tamen earũ gradus distinguuntur: quantoque unaquęque generalior erit, tanto magis præcedet. Generalissima loco & ordine prima erit, quia lumine & noticia prima est: subalternæ consequentur,

quia claritate ſunt proximæ: atq; ex his naturâ notiores præponētur, minús notæ ſubſtituentur, tandemque ſpecialiſſimæ conſtituentur. Definitio itaq; generaliſſima prima erit: diſtributio ſequetur. quæ ſi multiplex fuerit; præcedet in partes integras partitio, ſequetur diviſio in ſpecies: partesque ipſæ & ſpecies, eodem ordine ſunt rurſus tractandę ac definiendæ, quo diſtributæ fuerint: & tranſitionum vinculis, ſi longior inter eas interſit explicatio, colligandę ſunt: Id enim auditorem reficit ac recreat. Atq; ut res familiariús accipiatur, exemplo quoque familiari nobis ūtendum eſt. Omnes definitiones, diſtributiones, regulæ Grãmaticæ, repertæ ſint, atque unaquæque ſigillatim judicata: omniaque hæc documēta variis tabellis inſcripta, unà confundantur & conturbentur in hydria aliqua, ut in Ollę ludo fieri ſolet: hîc ſi quęras, quæ pars Dialecticæ te doceat, has regulas ita confuſas diſponere & in ordinem redigere: primó locis invētionis nihil opus eſt, cúm ſint omnia reperta: neq; primo axiomatis judicio, cúm unumquodq; axioma probatum & æſtimatum ſit: neque ſecundo ſyllogiſmi judicio opus, cúm ſint omnes ſingularū rerum cõtroverſiæ his de rebus diſceptatæ & concluſę: ſola methodus ſupereſt. Dialecticus igitur lumine methodi artificioſæ, ſeliget in hac urna definitionem Grammaticæ (id enim eſt generaliſſimum) & primo loco ſtatuet: Grammatica eſt

doctrina

doctrina bene loquẽdi. tum requiret in eádem urna partitionem Grammaticæ, & collocabit secundo loco: Partes Grammaticæ sunt duæ: Etymologia & Syntaxis. Deinceps in eodem vase definitionem Etymologiæ de vocibus separabit, & tertio gradu antecedentibus adjunget: tum vocis partes in literis & syllabis, speciesque in vocibus numeri & sine numero requiret, exituumq; transitiones suis locis collocabit. Atq; ita omnium etymologiæ partium definitiones, distributiones, colligationes, exempla deniq; specialissima in singulis disponet. Idemque in Syntaxi faciet. Hanc viam omnes artes sibi proposuerunt.

CAP. 19. DE SECUNDA METHODI *illustratione per exempla poëtarum, oratorum, historicorum.*

Atqui methodus, non solúm in materia artium & doctrinarum adhibetur; sed in omnibus rebus, quas facilé & perspicué docere volumus: ideoque poëtæ, oratores, omnesque omnino scriptores, quoties docendum sibi auditorem proponunt, hanc viam sequi volunt; quamvis non usquequaq; ingrediantur atque insistant. Virgilius in Georgicis distribuit propositam materiam in quatuor partes, ut anté dixi: primoque libro res communes persequitur, ut Astrologiam, Meteorologiam, deq; segetibus & earum cultu differit; quæ pars ope-

ris prima erat. tumque tranſitio adhibetur initio ſecundi libri:

Hactenus arvorum cultus & ſidera cœli,
Nunc te Bacche canam:

Deinceps ſcribit generaliter de arboribus, tum ſpecialiter de vitibus. Trãſitio ſecunda adhibetur ad tertiam partẽ, ſed imperfectior & ſine epilogo. Tertii libri initio de bobus, equis, ovibus, capris, canibus:

Te quoq; magna Pales, & te memorande canemus
Paſtor ab Amphryſo.

Tandem initio quarti libri tránſitio tertia eſt de quarta parte, ſed itẽ imperfecta é ſola propoſitione de apibus:-

Protinus aërii mellis ſylveſtria dona
Exequar.—

Sic igitur Poëta generaliſſimum primo, ſubalterna medio, ſpecialiſſima extremo loco ponere ſtuduit. Sic Ovid. in Faſtis, diſpoſitionis hujus gratiam ſequitur: propoſuit initio ſummum operis:

Tempora cum cauſſis Latium digeſta per annum,
Lapſaq; ſub terras ortaq; ſigna canam.

Mox imploratione facta, partitionem anni ſtatuit, factam à Romulo primúm in decem menſes, quam reprehendit:

Tempora digereret cúm conditor urbis, in anno
Conſtituit menſes quinq; bis eſſe ſuo.

Et

Et pauló póſt Numæ diviſionem pleniorem adjungit:

At Numa nec Janũ,nec avitas præterit umbras:
Menſibus antiquis præpoſuitq; duos.

Denique Poëta communes differentias interpretatus diei faſti,nefaſti,comitialis,nundinalis,calendarum, nonarum, iduum,tum atri; tãdem unumquenque menſem ſuo loco proſequitur,& præfatione ordinis hujus á generalibus ad ſpecialia ſtudium indicat:

Hæc mihi dicta ſemel,totis hærentia faſtis,
Ne ſeriem rerum ſcindere cogar, erunt.

Tandem ſingulis partibus expoſitis trãſitio conjungitur, ut in fine 1. & initio 2.

Sed jam prima mei pars eſt exacta laboris,
Cumq; ſuo finem menſe libellus habet.
Janus habet finem, cum carmine creſcat & annus:
Alter ut it menſis,ſic liber alter eat.

In ſingulis libris poſtea tranſitiones adhibẽtur,ſed minús accuraté. Oratores in prooemio, narratione, confirmatione, peroratione hunc ordinem affectant; eumque artis & naturæ & rei ordinem appellant, & interdum ſtudioſiús affectantur: ut in accuſatione Cicero primúm proponendo,tum partiendo, Quæſtor(inquit) « Cn.Papyrio Cos.fuiſti ab hinc annos quatuor- « decim;& ex illa die ad hanc diem quæ feciſti,in « judicium voco;hora nulla vacua furto,ſcelere, « crudelitate,flagitio repietur. Propoſitio hîc & «

definitio ſummæ rei eſt, tanquam in hoc judi-
» cio generaliſſima. Partitio ſequitur: Hi ſunt
» anni conſumti in Quæſtura & legatione Aſia-
» tica, & Prætura urbana, & Prætura Sicilienſi:
» quare hęc éadem erit quadripartita diſtributio
» totius accuſationis meæ. Quas partes quatuor,
earumq; partium particulas, deinceps ſuo quã-
que ordine & loco tractavit, & tranſitionibus
» copulavit; tres primas tertio libro: Quamobrẽ
» (ait) Quæſtura iſtius demonſtrata, primiq; ma-
» giſtratus & furto & ſcelere perſpecto, reliqua
» attẽdite. Tum veró expoſitis legationis crimi-
nibus, tranſitio ad Præturam ſequitur: Verúm
» ad illam jam veniamus præclaram Præturam,
» criminaq; ea, quæ notiora ſunt his, qui adſunt,
» quám nobis, qui meditati ad dicendum parati-
» que venimus. Tranſitio hæc imperfectior eſt
ſine epilogo: tandem principio quartæ oratio-
nis tranſitio eſt conſimilis ad quartam partem
» de Prætura Sicilienſi: Multa mihi neceſſarió,
» judices, prætermittenda ſunt; ut poſſim aliquo
» modo de iis rebus, quæ meæ fidei cõmiſſæ ſunt,
» dicere: recepi enim cauſſam Siciliæ: ea me ad
» hoc negotium provincia attraxit. Sic Livius
ſummam ſeptingentorum annorum initio
complectitur, tum per decades dividit.

CAP. 20. DE CRYPTICIS *methodi.*

Hæc igitur in variis axiomatis homogeneis
ſuoque vel ſyllogiſmi judicio notis methodus
erit,

erit, quoties perſpicué res docenda erit: At cúm delectatione motúve aliquo majore, in parte aliqua fallendus erit auditor; homogenea quędam rejicientur, ut definitionum, partitionum, tranſitionumque lumina: quædam aſſumentur heterogenea, velut digreſſiones á re & in re commorationes; ſed præcipué rerum ordo initio invertetur, antecedentiaque nonnulla conſequentibus poſtponentur. Itaq; ad illam perfectæ methodi regulam hæc alicubi imperfectior forma non ſolúm detractis rebus mutila eſt vel ſuperadditis redundat; ſed ordinis ſui quibuſdam gradibus inverſis præpoſtera eſt. Quod Poëta facit majore quadam artificii ſpecie, dum populum ducendum ſibi proponit, id eſt, belluam multorum capitum; ideoque variis modis decipit, incipit á medio, ibique primum ſæpe comprehendit, poſtremum denique incerto aliquo & inopinato caſu concludit. Sic (ut Horatius ait) Homerus Iliada diſpoſuit:

Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo:
Semper ad eventum feſtinat, & in medias res
Non ſecus ac notas auditorem rapit: & quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.
Atq; ita mentitur, ſic veris falſa remiſcet,
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.

Sic Virgilius Æneam á Sicilia excepit, & in convivio Carthaginis præterita narrantem fecit: poſtrema variis perturbata caſibus induxit.

Sic Comici poëtæ tametsi magno judicio comœdias per actus & scenas distinguunt; efficiunt tamen ut omnia fortuita videātur. Oratores veró ad victoriā omnia referunt. Itaq; non tam docēdi, quám permovendi gratiâ firmissimum quodq; primū ab iis collocatur; dum tamen ea quæ æqué excellent, servētur etiam ad extremū, & Homerica dispositione mediocria in mediam turbam atq; in gregē conferantur.

Methodus] Id est, ordo notionum tum simplicium tum complexarum, qui in artium ac disciplinarum institutione observari debet. Qui ordo á Platone & Aristotele vocatur ὁδὸς, id est via: 1. Ethic. 4. εὖ γὰρ καὶ Πλάτων ἠπόρει τοῦτο καὶ ἐζήτει, πότερον ἀπὸ τῶν ἀρχῶν ἢ ἐπὶ τὰς ἀρχάς ἐστιν ἡ ὁδός. hoc est, Bene enim & Plato de hoc dubitabat & quærebat, utrum via (scilicet docendi) á principiis, an veró ad principia duceret. Galenus veró in Arte parva διδασκαλίας, id est doctrinás vel potiús doctiones (ut ita dicam) appellat. Verúm iste docendi ordo seu via, nomine jam in scholis recepto, & apud doctos usitato methodus vocatur per metonymiam subjecti. nam μέθοδος proprié significat alicujus artis aut scientiæ in-
1. *Offic.* stitutionem, ratione & via (ut Cicero loquitur) susceptā: interdum etiam ipsam artem & rei cujuspiam bene efficiendæ facultatem: quæ quidem utraque ideo μέθοδος veteribus Græcis, ut Platoni, Aristoteli, Galeno, dicta fuit: quód sit μετὰ ὁδοῦ, id est cum via: hoc est, quód legitima ratione & quasi recta via vel ad effectionem operis artificiosi, vel ad cognitionem præceptorum artis aut theorematum scientiæ deducat. Porró duplicem illam hujus vocabuli significationem horū inductione exēplorū confirmo. 1. Topic. 1. ἡ μὲν πρόθεσις τῆς πραγματείας, μέθοδον εὑρεῖν, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος, ἐξ ἐνδόξων· καὶ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες, μηδὲν ἐροῦμεν ὑπεναντίον. h. e. Propositum hujus

hujus tractatus est, methodum invenire, á qua *instructi* argumẽtari possimus de quovis proposito problemate, ex probabilibus: & ipsi disputationem sustinentes, nihil dicamus pugnans. Hîc Aristoteles Dialecticã suam seu Topicam cui tanquam contrariam speciem opponit Apodicticã, dicit esse μέθοδον: id est (meo quidem judicio) artẽ seu bene quippiam efficiẽdi facultatem. Eod. cap. in fine: διότι περὶ οὐδενὸς αὐτῶν, τὸν ἀκριβῆ λόγον ἀποδοῦναι προαιρούμεθα· ἀλλ' ὅσον τύπῳ, περὶ αὐτῶν βουλόμεθα διελθεῖν· παντελῶς ἡγούμενοι ἱκανὸν κατὰ τὴν προκειμένην μέθοδον, τὸ δύνασθαι γνωρίζειν ὁπωσοῦν ἕκαστον αὐτῶν. hoc est: Quapropter de nullo istorũ accuratam rationem reddere propositum nobis est: sed quantum *fieri potest* rudi adumbratione, de iis volumus disserere: existimantes omnino satis esse pro suscepta methodo, posse utcunq; cognoscere unumquodq; eorum. Hîc susceptam Dialecticæ seu Topicæ institutionem, vel certé rursus ipsam Topicam μέθοδον appellat. Sic & c. 2. ubi utilitates susceptæ tractationis enumerans, primam ponit πρὸς γυμνασίαν ad exercitationem: quo vocabulo intelligere videtur exercitationem illam scholasticam qua certis thesibus in mediũ propositis, contrá disputatur. tum subjungit: μέθοδον γὰρ ἔχοντες, ῥᾷον περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος ἐπιχειρεῖν δυνησόμεθα. hoc est, nam si methodum habeamus, faciliús poterimus de quovis proposito *alterũ argumentando* aggredi. Hîc rursus μέθοδον vocat ipsam Dialecticam. Deinde in expositione utilitatis tertiæ, ita loquitur: ἔτι δὲ πρὸς τὰ πρῶτα τῶν περὶ ἑκάστην ἐπιστήμην ἀρχῶν. hoc est: Præterea ad prima cujusq; scientiæ principia. sc. utilis est suscepta tractatio. Et paucis interjectis, ἐξεταστικὴ γὰρ οὖσα, (ἡ διαλεκτικὴ) πρὸς τὰς ἁπασῶν τῶν μεθόδων ἀρχὰς ὁδὸν ἔχει. h.e. Quum enim Dialectica exquisitrix sit, ad omnium methodorũ principia viam habet. Ecce hîc methodos nominat, quas pauló anté appellaverat ἐπιστήμας, id est, sciẽtias. Et mox: ἕξομεν δὲ τελέως τὴν μέθοδον, ὅταν ὁμοίως ἔχωμεν, ὥσπερ ἐπὶ ῥητορικῆς καὶ ἰατρικῆς καὶ τῶν τοιούτων δυνάμεων. h.e. Habebimus autẽ

perfectè hanc methodum, quando similiter affecti erimus, ut in rhetorica & arte medendi aliisque id genus facultatibus. Hîc rursus methodi nomine ipsam Dialecticam intelligit, ut ex comparatione cum similibus artibus liquet. Item cap.3. in principio: πρῶτον οὖν θεωρητέον ἐκ τίνων ἡ μέθοδος: hoc est, primùm igitur videndum est, ex quibus rebus hæc methodus *constet*. Hîc rursus methodi vocabulo Dialecticam intelligit. Atque hæc sunt loca in Topicis: jam é Rhetoricis considerētur hęc. 1.Rhet.1. ter hoc vocabulum reperitur, capite autem 2. semel: quibus omnibus in locis institutionem artificiosam significat. Etenim primo capite Aristoteles magistros dicendi suæ ætatis reprehendens, tanquam nō bene rhetoricam τεχνολογοῦντας, h. e. in artis formam redigentes, inter alia sic ait: διὰ γὰρ τοῦτο, τῆς αὐτῆς οὔσης μεθόδου περὶ τὰ δημηγορικὰ καὶ δικανικά· καὶ καλλίονος καὶ πολιτικωτέρας τῆς δημηγορικῆς πραγματείας οὔσης, ἢ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα· περὶ μὲν ἐκείνης οὐδὲν λέγουσι· περὶ δὲ τοῦ δικάζεσθαι πάντες πειρῶνται τεχνολογεῖν· ὅτι ἧττόν ἐστι πρὸ ἔργου, τὰ ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν, ἐν τοῖς δημηγορικοῖς· καὶ ἧττόν ἐστι κακοῦργον ἡ δημηγορία δικαιολογίας. hoc est. Propterea enim, quum una eademque methodus sit quæ & circa caussas populares & circa judiciales versatur: quūque illa de popularibus caussis tractatio pulchrior & civilior sit, quàm ea quæ occupatur in contractibus: de illa nihil dicunt: de litigando autem omnes conantur artem tradere: quoniam in illa de popularibus caussis disputatione minús operæ pretium est ea dicere quę extra rem sunt: & *quoniam* popularis oratio minús malefica est quàm litigatio. Hîc Aristoteles artem rhetoricā μέθοδον appellat. huic enim arti considerationem caussarum civilium attribuit. sicut ex illa ipsa tractatione satis apparet. Ibidem paulo póst, ἐπεὶ δὲ φανερόν ἐστι, ὅτι ἡ μὲν ἔντεχνος μέθοδος περὶ τὰς πίστεις ἐστίν. h.e. Quoniam igitur manifestum est, methodum artificiosam versari circa probationes. Hîc rursus Rhetoricam methodum nominat: & addit ἔντεχνον, artificiosam: ut veram & legiti-

gitimam artem, á falſa illa aliorum technologia diſtinguat. Sic in fine capitis: περὶ δὲ αὐτῆς ἤδη τῆς μεθόδου πειρώμεθα λέγειν. hoc eſt, Sed nũc de ipſa methodo diſſerere conemur. hoc eſt, de ipſa arte dicendi. Mox enim in principio capitis ſecundi, Rhetoricam definit, inquiens: ἔστω δ᾽ ἡ ῥητορικὴ, δύναμις, &c. Item pauló póſt, quum probationes diſtinxiſſet in ἀτέχνους & ἐντέχνους, id eſt, inartificiales & artificiales: definit artificiales ad hunc modũ: ἔντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου καὶ δι᾽ ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν. hoc eſt, Artificiales *probationes voco*, quæ per methodum & per nos comparari poſſunt. Quam autem quæſo methodum hîc intelligit Ariſtoteles, niſi ipſam artem Rhetoricam? In qua tradenda doctrinam περὶ τῶν ἐντέχνων πίστεων, de artificialibus probationibus, ab aliis perperam omitti dixerat capite primo. Atque hæc é Rhetoricis. Videamus nunc unum atque alterum locum in Ethicis Nicomachëis. Lib. 1, cap. 1, ſtatim in principio: πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος, ὁμοίως δὲ πρᾶξίς τε καὶ προαίρεσις, ἀγαθοῦ τινος ἐφίεσθαι δοκεῖ. id eſt, Omnis ars & omnis methodus, ſimiliter veró & actio & propoſitum, bonum aliquod appetere videtur. Hîc methodus ſignificare videtur artem aliquã liberalem, & ingenuam: ſicut τέχνη ſignificat artem mechanicam. Vel certé ſignificat ratione ſuſceptam inſtitutionẽ, quo modo Lambinus vertit. Deinde in fine cap. 2. ἡ μὲν οὖν μέθοδος, τούτων ἐφίεται, πολιτική τις οὖσα. hoc eſt, Hæc igitur methodus, iſta appetit: quum ſit civilis quædam *facultas*. Hîc doctrinam de moribus ſeu ſcientiam ethicam, methodum appellat.

Quin etiam ſcientiam quam vulgó vocãt metaphyſicam, quamq; Ariſtóteles σοφίαν, id eſt ſapientiam nominat: eandem etiam methodum appellat, vel certé diſſertationem de illa. Etenim cap. 3. veterum philoſophorum de primis cauſſis opiniones enumeraturus, ait, ſibi illas percurrẽti aliquid occurſurum quod ad inſtitutam methodum conducat: ἐπελθοῦσι γοῦν, inquit, ἔσται τι πρὸς ἔργου τῇ μεθόδῳ τῇ νῦν.

Sed hæc de vocabulo methodi satis: ipsam autē hanc de methodo doctrinam verissimam,& exemplis artium (videlicet Grammatices, Rhetorices, & Dialectices) á nostro authore optimé traditarum,satis testatam atque confirmatam esse judico.

Ut autem & nos aliquid(quantum Dominus hoc tēpore dederit) ad præclarissimam hanc de methodo doctrinam illustrādam afferamus: proponemus in exemplum epistolam S.Pauli ad Romanos: quam summa sapiētia scriptam esse, nemo divinorum interpretum unquam dubitavit.

Ea igitur epistola in tres principales partes distingui potest:in procemium,institutionem doctrinæ Christianæ,& perorationem. quarum partium ordo utique naturalis est.Procemium seu præfatio cōtinetur cap.1,usq; ad vers.16.Institutio,á v.16,cap.1,usque ad v.14,c.15. Peroratio denique,á vers.14,cap.15,usque ad finem epistolæ. Deinde veró ipsa doctrinæ Christianæ institutio rursum in quinque partes potest distribui: quarum singularum hæc summa est.

I. De *peccato*: Omnes homines esse peccatores. cap. 1, 2, 3.

II. De *justificatione*: Neminem justificari ex operibus Legis:sed quotquot justificantur,eos justificari sola fide in Christum. cap.3, 4, 5.

III. De *sanctificatione*: Qui justificantur,eos etiā sanctificari: sed sanctificationem esse in hac vita imperfectam. cap. 6, 7, 8. Et cap. 8. etiam de *tolerantia crucis* & *spe vitæ æternæ*: Eos nimirum qui justificati & sanctificati sunt,patienter ferre afflictiones propter Christum illatas, easq; vincere spe certissima vitæ æternæ.

IIII. *Refutatio* objectionis contra doctrinam de justificatione propositam: nempe,Si per solam fidem in Christum justificarentur homines ac tandem salvarentur: oporteret Judaicam quoque gentem in Christum credere. At ea gens in Christum non credit. Ergo nō videtur vera esse illa Pauli de justificatione doctrina. Respondet

ſpondet Apoſtolus ex arcana doctrina de divina quorũdam ad vitam æternam electione, aliorum veró reprobatione ac rejectione. cap. 9, 10, 11.

V. De *ſtudio bonorum operum*: ad quod hortatur omnes Chriſtianos. cap. 12, 13, 14, 15.

Jam hæ quoq; partes ordine naturali ſeſe conſequuntur. Primúm enim peccatum prius eſt juſtificatione. nã ſi peccatum ſit, nõ eſt neceſſe juſtificationem, id eſt, abſolutionem á peccato ſeu condonationem peccati eſſe: at, ſi juſtificatio ſit, neceſſe eſt peccatum præceſſiſſe.

Deinde juſtificatio prior eſt ſanctificatione. nam etſi nunquam eſt ſine illa, ſicut ſol nunquam eſt ſine calore & ſplendore: tamen prior eſt ut cauſſa originalis: nam ex fide qua juſtificatio cõſtat, ſanctitatis ſtudium & initium naſcitur. Jam doctrina illa de juſtificatione fidei, prior etiam eſt refutatione objectionis contrariæ. nam ſi doctrina illa ſit, non eſt neceſſe eam ut falſam reprehendi: at reprehendi illa non poteſt, niſi ſit. Quanquam hîc incidit quędam methodi atque ordinis naturalis inverſio: quatenus Apoſtolus in hac refutatione de fidei & incredulitatis, ac proinde etiam juſtificationis & condemnationis cauſſa prima atque ſuprema diſputat: videlicet de æterna Dei prædeſtinatione. Poſtremó præcedens illa doctrina tum de juſtificatione & ſanctificatione, tum de divina electione, prior eſt cohortatione ad ſtudium bonorum operum: quum beneficium pejus ſit gratiarum actione: Studium autem bonorum operum gratiæ Deo referendæ cauſſa á Chriſtianis ſuſcipiendum ſit.

FINIS.

INDEX EORVM QVÆ IN RAMI DIALECTICA, ET PISCATORIS ANIMADVERsionibus notatu digna visa sunt.

Artifi-

Pro-

FINIS.



GVLIELMI TEMPELLI PHILOSOPHI CANTABRIGIENSIS EPISTOLA

DE DIALECTICA P. RAMI,


ad


IOAN. PISCATOREM ARGENTINENS. unà cum Ioan. Piscatoris ad illam epist. responsione.






FRANCOFURTI
Apud hæredes Andreæ Wecheli,
M. D. LXXXII.





ORNATISSIMO VIRO IOANNI PISCATORI ARGENTINENSI GULIELMUS *Tempellus S. D.*



NIMADVERSIONES tuæ in [redacted] Dialecticam (ornatiſſime Piſcator) tantum ap[redacted] & tam illuſtre nomen conſecutæ ſunt, ut qui Piſcatorem neſcierit, nihil in Dialecticis exquiſitum ſcire videatur. Ego certé pro eo quo Logicæ diſciplinæ veritatem amore complector, tantũ tibi tribuo, quantum excellentiſſimo philoſopho tribuere debemus. Nam quæ duæ res ad ſummam laudem poſſunt valere plurimum, eæ profectó in te elucent ambæ: libertas judicii, & ingenii magnitudo. Illa fecit ut te ab eorum hominum erroribus vindicâres, qui nihil ſolent ad ill[redacted]ſciplinas præter jejunam ſubtilitatem & Ariſtotelis nomen afferre: hæc ita nos afficit ut certé admiremur, & præclari deinceps aliquid cupidiſſimé expectemus. Quód ſi [redacted] reviviſceret, & tuam in expoliendis dialecticis excellentem cupiditatem intueretur: equidem gratularetur ipſe ſibi, & Joanni Piſcatori ſeſe permultum debere fateretur, quód ad ſuum ſt[redacted]limandę veritatis dialecticæ, induſtria Piſcatoris acceſſiſſet. Neque veró tibi verendum erat, ne erroris animadverſio minús ei jucũda accideret. Fuit ille vir, ſi quis alius, in ſtudium diſceptandæ veritatis, &

erroris profligandi tantoperé incitatus, ut si quid aliquando accuratius occurrisset, sive id ipse invenisset, sive ab alio vel infimo accepisset, vehementiús lætaretur. Atque hoc plané [redacted]ameum est, & pati se de errore admoneri, & lætari si ab aliquo corrigatur. Dum igitur te ad [redacted] dialecticam perpoliendam & erroribus liberandam retulisti, fecisti profectó illud quod Petrus Ramus factum voluit, & ii etiam facere debent, qui Rameæ disciplinæ instituta sequuntur, id est, studium excolendæ veritatis profitentur. Quanquam hercle, utcunq; fueris in animadversionibus illis cum summa laude versatus: tamen nescio quo modo non illæ mihi ita satisfaciunt, quin putem posse á Joanne Piscatore eruditissimo homine exquisitius aliquid perfectiúsque proferri. Ac proinde [redacted]ibere ad te non alienum videbatur, & vehementer rogare, ut qua luce ingenii om[redacted] feré assequeris, eádem in logicis [redacted] pauló accuratiús disceptandis utare. Atque ut id eó alacriús suscipias, exponam quid mihi in animadversionibus tuis non tantoperé probetur. Quod eó libentiús facio, cúm propter alios qui id á me contenderunt, tum propter P. Baronē Gallum, non modó perfectum in theologia magistrum, sed hominem etiam cæterarum artium laude excellentem, qui mihi ad istud suscipiendum author accessit. Cui quidem id olim contigit quod jam tibi. Nam cúm relictis elegantiis Peripateticæ familiæ, ad Rameæ institutionis disciplinam accessisset, & jam [redacted] propter similitudinē studiorum ac ejusdem generis cognationem familiariter uteretur: incidit ille quidem in eas feré difficultates, quibus tu [redacted]cticam irretitam esse disseris. Mihi etiam de nonnullis in mentem subinde venit dubitare: sed tamen ipse me sustineo; ne, quod propter infirmitatem judicii non assequor, id propter temeritatem condemnasse videar. Quid ergo? Quod in [redacted] nō ausim, id in Piscatore audebo? Condemnare animadversiones tuas non audeo; immó probo & laudo: sed ita tamen, ut earum plerisque non valde assentiar. Scripsi igitur ad te, ut illud

ut illud tuum divinum acumen diligētissimé in omnem partem excites: ut mihi homini adolescenti & in literarum studiis vix mediocriter versato aliquid impertias disciplinæ tuæ. Quod facillimé consequêre, si, quæ á me pro Ramo levissimé differuntur, in iis erravisse me docueris. Nam ea medius-fidius instituti mei summa ratio est, non ut te refellam: sed ut á te in iis quæ nesciam, erudiri possim. Age igitur: & quid mihi in animadversionibus tuis minús probetur, attende. Non placet tibi Ramea artis logicæ definitio. Quid ita? Quia & vox I.
illa *bene* redundat, & differendi verbo non omnis logicæ doctrinæ vis comprehenditur. Redundantiam esse vis, quoniam idem tibi expressum videtur, quod artis vocabulo continetur. Veréne istud á te dicatur, videamus. Artis integra natura, præceptis & præceptorum methodo consumitur. Nam si arti præcepta perpetuæ veritatis, homogenea, partibus reciproca, & ad elegantem ordinis formam revocata, concesseris: nihil á te ad suam ipsius constituendam essentiam requiret amplius. Atqui veró quod arti tanquam summum bonum proponitur, id nullam partem é materia formaque constitutæ artis assumit. Quid enim? ecquid finem constructi ædificii, materia ejusdem ac forma, aliqua ex parte contineri dicemus? Tu cúm fini nomen externæ caussæ affingis, eumq; extra effectum consistere, non autem effecto inclusum esse disseris: non vis hercle aliquam finis partem materia rei compositæ formaque comprehendi. Sed quamlibet artem habitum esse dices bene agendi. Quid tum? Illa εὐπραξία, quæ finis est cujusvis disciplinæ, nulla ex parte, materia aut forma artis continetur. Quod veró de arte generatim dicitur, id ex lege καθόλυ πρῶτον speciatim in dialectica explicatur. Artis finis, est bene agere: dialecticæ veró, bene differere. Quæ ergo (inquies) vocabulo *Bene* subjecta vis erit? Equidem illius actionis, quæ totius artis viribus efficitur, perfectionem notabit. Perfectio autem hujus actionis, nónne ab arte profecta est? Quis negat? non tamen

in ipsa arte inclusam esse concedo: nisi fortasse quicquid ab efficiente in effectum transfunditur, id efficiente cōprehendi fatēdum sit. Neq; interim ἄλογον est, ut eadem actio, & effecti & finis rationē obtineat. Verùm tu ista videris ornatissime Piscator: ego satis assecutus sum, si te ista quasi velitatione, quæ ipsi mihi non tantoperé probatur, ad illustriorem quandam explicationem provo-
2. caverim. Agedū: Vox illa *differendi* non arridet. Tropum esse, non inficior. Sed ita illustris tropus est, ita in disertissimis authoribus frequens, pené ut vox illa non tropo modificata, sed á natura ad eam significationem facta videatur. Quid tropo illo declaretur, nemini obscurum esse potest. Omnem profectó dialecticæ vim comprehendit: sive rei inveniendæ cōsilium spectes, sive dispositionis alicujus in enunciato & syllogismo & methodo rationē consideres: adeó ut tropi hujus rejiciendi justa caussa subesse non possit. Sed tua hujus definitionis correctio quæ-nam est? Ais, dialecticam meliús definiri artem docendi. Non valde repugnarem, nisi ***docere*** nihil aliud tibi esset, quám enunciato quæstionem declarare, vel syllogismo eandem demonstrare. Ex quo fit ut allata abs te definitio, καθόλȣ πρῶτον non sit. Nam qui dialecticam sic definit, is rem generalem per duas in re generali comprehensas particulas interpretatur. Dialecticæ definitio, ad omnes dialecticæ partes communiter attinebit. At ubi in tua definitione, argumenti inventio? ubi methodi disciplina? utraq; certé exclusa est; cúm tibi docendi ratio, enunciati & syllogismi usu tota
3. vertatur. Non minús mihi tua illa de materia & forma dialecticæ, aliena videtur explicatio. Materia (inquis) dialecticæ argumēta sunt. Quód si materiam quæ ad logicæ artis structuram requiritur, intelligis (ut certé intelligis) dabis veniam si á te dissenserim. Nam in constituenda dialectici artificii fabrica, ipsa præcepta materiæ rationem obtinent. Quod ex artis definitione perspicitur. Sed quæ forma dialecticæ? argumentorum (inquis) cùm quæstione dispositio. Non placet hercle.
Artis

22

Artis enim forma, toti arti convenire debet. Hanc veró quam affers, nec capere inventio, nec ſuſtinere enunciatum, nec methodus ferre poteſt: immó veró nec doctrina ſyllogiſmi. Ubi ergo argumentorum cum quæſtione diſpoſitio conſiſtet? Cujus rei forma erit? certé operis illius, quod ſyllogiſmi præceptis contexitur. Nam in eo ad vim conſequentiæ deducendam quæſtio cum argumento perartificioſé diſponitur. *Argumenti* definitio ſatis tibi accurata videretur, niſi arguendi vocabulum diſpliceret. Uſurpatur, ſi placet, καταχρηστικῶς, (in 4.
quo tamen non valde tibi aſſentior.) Quid tum? Nullum certé ex omnibus vocabulis aptius huic loco, nullum elegantius occurrit. Nunquam ego *declaramentum* illud tuum, vel *documentum*, cum verbo *arguendi* ulla ex parte conferendum putabo. Hîc de duplici uſu argumenti ſic diſputas, tanquam [redacted] plané fugiſſet: aisque, ab eo declarationis & argumentationis diſtinctionem minimé explicatã eſſe. Etenim in comparatorum animadverſionibus iſtam P. Ramo inſcitiam attribuis. Quid dicam? Nulla mihi ingenio Piſcatoris indignior animadverſio viſa eſt. Quorſum illa P. [redacted] de axiomate inſtituta præcepta? Quorſum tot locis & tam ſolicité contendit, alia enunciari judicio explicari, alia diſceptari ſyllogiſtico? Quorſum de ſophiſtarum vanitate conqueritur, quód omnem logici judicii uſum ad ſyllogiſmi ſubtilitatem tranſtulerint & alligarint? Ecce Piſcator á Piſcatore refellitur.. Arguere (inquis) [redacted] ſignificat non ſolúm veritatem alicujus affirmationis aut negationis probare ſeu demonſtrare, qui vulgaris hujus verbi uſus eſt: verũetiam rei cujuſpiã naturam declarare. ſeu explicare abſq; ullo ſyllogiſmo. Fateris igitur, duplicem argumẽti uſum, alium in declaratione, in demõſtratione alium, fuiſſe [redacted] cognitum ſatis & exploratum. Ut veró tuam de argumẽti bipartito uſu ſententiam magis illuſtres, rem univerſam á capite repetitam, & tuis præceptis comprehenſam, velut ob oculos proponis. Hoc nempe modo:

Dialectica est ars docendi.

Quod ad docendum proponitur, vocatur quæstio.

Quod ad docendum adhibetur, vocari potest documentum.

Documentum est duplex: declaramentum aut argumentum.

Declaramentum, est documentum, quod adhibetur ad explicandum quæstionem simplicem.

Argumentum, est documentum, quod adhibetur ad explicandum quæstionem conjunctam.

5. De logicæ artis definitione jam diximus. De subjecto dialecticæ lautius quiddam & splendidius requiro. Nam si explicatio subjecti informanda fuit, equidem ejusmodi subjectum notari debuit quod generale est & totius artis commune. At quæstio, non est inventionis, non semper axiomatici judicii, nō methodi subjectum. Ubi igitur hîc καθόλου πρῶτον? Deinde præceptum quæstionis, utpote quæ ex argumentorum conjunctorum ambiguitate oriatur, in arte dialectici judicii exponen-
6. dum fuit. Quod quia alibi fuit, id καθ' αὐτὸ non est. Perge veró. Documentum est duplex, declaramentum aut argumentum. Non probas mihi ista quæ dicis. An una eademque res, pro duplici usu duplex statuetur? idem equus arationi scilicet & vecturæ deservire potest: ideóne in duo genera distrahetur? An Sequana Parisiensis propter multiplicem usum multiplex erit? sed mittatur partitio: & partitionis membra separatim persequere. Primó definiatur quid sit declaramentum. Peracta res est. Tum in partes tribuatur. Quomodo igitur declaramentum partiris? Haud dubié in caussas, effecta, subjecta, adjuncta, dissentanea, comparata, & reliqua é primis istis derivata. Bene est. Postquam omnes declaramenti species singillatim explicaveris, argumenti tractationem aggredere. Definiatur consimiliter: deindè

in

in membra dividatur. Sed in quæ obsecro? an in illa ipsa in quæ declaramentum distinguitur? At rem trāsactam repetis, & dissidentibus generibus easdem species affingendo, distributionis legem violas. Quód si alias argumenti partes constituis, quám quæ declaramento tributæ jam sunt, veras argumenti species prætermittis. Vides quid ego in tua illa logicæ artis inchoata delineatione desiderem. Tu veró ad elegantiorem deinceps animadversionem meditare. Quin etiam illud atten- 7.
de, rectène argumenta per se considerari dicantur. Reclamas. Cur tandem? quia argumentum (inquis) sine eo quod arguitur, esse aut intelligi non potest. Quid [redacted] velit, non assequeris. Rationes solæ & per se considerατæ hîc dicuntur, quæ non in unam sententiam conjunctæ, sed liberæ ab axiomatica dispositione spectātur: adeó ut etiamsi mutua relatione contineantur, possint tamen absolutè & per se, id est, enunciato non dispositæ considerari. Non minús in prima argumenti partitio- 8.
ne reprehendenda erravisti. Argum[redacted]tum artificiale aut inartificiale [redacted] efficitur. Hîc propter membri posterioris falsitatem, distributionis elenchum esse vis. Atqui ver[redacted] sententiam non satis acutè interpretaris. Non enim testimonium ideo inartificiale dicitur, quia nulla ars illius inveniendi traditur (quorsum enim id á[redacted] diceretur, cúm excogitandi testimonii rationem præcepto comprehenderit?) sed quia arguēdi vim ab artificialibus assumit. In Ramea caussarum tractatione nōn pauca corrigis. Ad perficiendam caussæ de- 9.
finitionem verbum *Fit* adjungendum esse putas. quasi particula illa (nempe *Est*) non cujuslibet caussæ in effecto constituendo vim satis enucleatè complecteretur. Nam quód novam caussæ partitionem effinxeris, & in 10.
ea finem materiæ formæque præposueris: vide ne dum partitionis elegantiam consecteris, á lege methodi descivisse videare. Nam si rei effectæ finis extiterit, necesse est præcessisse materiam & formam: at si materia fuerit, non ideo sequitur finem esse. Nec si in re co[redacted]

da de fine primúm cogitetur, idcirco cæteris caussis na-
11. turâ prior dicetur. Efficientis prima distinctio, quibus-
dam á te partibus amplificata est. Ego partitionem il-
lam, si defuerit, non valde desiderem: si adfuerit, non
magnopere recusem. Fuit illa quidem P. Ramo com-
perta: sed illius judicio non tantoperé necessaria vide-
batur. Brevissimé admonere, satis erat: præsertim cúm
illorum contrariorum ea ratio sit, ut alterum ex altero
12. statim elucescat. At veró cúm tuam in formæ parti-
tione diligentiam attendo, venit mihi in mentem Ho-
ratianum illud: *Aliquando bonus dormitat Homerus.*
[redacted]d enim? Qualem nobis formæ distributionem ex-
hibes? Logica forma, est entium & nō entium commu[redacted]
nis. Tu in forma partienda duas particularis Entis spe-
cies proponis: Formam scilicet rei physicæ seu natura-
lis, & externam corporis figuram, sive id naturâ sive ar-
tificio constet. In quo omnes illæ de artis materia for-
13. maque leges violantur. De finis distributione quid
loquar? Quod [redacted] judicio quodam seponendum
é dialecticis putavit, id tu denu[redacted]. De partitio-
num veritate non pugnabo: de necessitate adduci non
possum ut assentiar: præsertim cúm [redacted]mque de
fine præceptio, ad quemvis finem cognoscendum & in-
14. telligendum commodissimé possit satisfacere. Quod
veró ad parem rei explicandæ & illustrandæ [redacted]m
attinet, quam in subjecto & adjuncto esse vis, in eo mi-
hi non persuadebis, nisi aliqua ad authoritatem tuam
ratio accesserit. Illud certé ausim dicere; quod abs te af-
fertur, id κατὰ παντὸς non esse. Nam virtutis utilitas
magis é subjecto, in quo exercetur, quám ab adjuncti
15. laude illustratur. Est etiam in consequenti animad-
versione, quod non valdé approbem. Duas illas particu-
las *(omni & semper)* in proprii definitione redundare
differis: quia proprium est quod soli convenit. Primó
aliquod de qualitate præceptum in adjunctorum loco,
subtili & accurata definitione cōprehendere, id nunquā
[redacted] logicæ disciplinæ leges sequenti, propositum
ali-

aliquando aut eſt, aut eſſe potuit. Nam qualitas, ſpecialis adjuncti rationẽ notat. Ac proinde [redacted] de qualitate non ſic præcepit, tanquam eſſet argumenti inveniendi viam traditurus; ſed ad illuſtrationẽ præcepti illius quod adjuncti definitione comprehenditur, ut alia quædã adjuncta, ſic qualitates recenſuit & adhibuit: in quarũ proferendo exemplo cõmunem loquendi conſuetudinem ſequutus eſt. Deinde utcunq; iſta á [redacted] dicãtur, certé animadverſionis tuæ ratio mihi non facit ſatis. Propria qualitas (inquis) eſt, quæ ſoli ſubjecto convenit. At iſtud non eſt καθόλȣ πϱῶτον. Anima vitæ, ſenſus, rationis particeps, ſoli homini cõvenit: anima tamen non eſt propria hominis qualitas. Ulmus ſoli terræ actis radicib. innaſcitur: ulmum tamẽ in propriis terræ qualitatibus minimé opinor numeraveris. Verũ reliqua perſequamur. Diſ- 16.
paratorum in liberalitate & avaritia exemplũ reprehendis. Adverſantur (inquis) non diſparantur. Affirmationis argumentum expecto. Quãquam quid expectem, cúm hoc ipſum á te de contrariis agente iterum refellatur? Mihi liberalitas & illiberalitas adverſa ſunt: ſpecies veró illiberalitatis in avaritia, eſt liberalitati diſparatum, cúm non é regione eidẽ adverſetur. Neq; veró é prima Tu- 17.
ſculana ad contradicentia illuſtranda exemplũ illud nõ ſatis conſentaneũ videri debet. Fatetur tandem Atticus, mortuos miſeros non eſſe. Quo argumento hanc cõfeſſionẽ ab Attico expreſſit Marcus? An nõ argumento cõtradictionis? Sané veró. Nam [redacted] primúm, admonitus á Marco, ſe cõtradicentia locutũ eſſe animadvertit: fateor (inquit) quoniã extorſiſti, qui omnino non eſſent, eos ne miſeros quidẽ eſſe. At ſi quis ita diſſerat, mortui nõ ſunt, ideoq; ne miſeri quidem, eũ á ſubjecto diſſerere contẽdes. Sit ita. Quid? An idcirco Marcus contradictionis argumento illam Attico confeſſionẽ non extorſit? Mortui ſunt, mortui non ſunt, contradicentia eſſe concedes. At quorſum iſta cõtradictio explicatur? Equidẽ aut nullo conſilio, aut idcirco ut iſtã de qua loquor confeſſionẽ ab Attico Marcus eliceret. Non abſimilis in privantib. 18.

reprehensio est. Exemplum istud (*Semper eris pauper, si pauper es, &c.*) é Martiale productum, abjudicandum & tollendũ esse censes: quoniam hujus argumenti consecutio (ut ais) non é natura privantium, sed proprii, dependet: nam sublata nota proprii, consecutio non valet. At (inquam) Pauper & Dives privantia sunt: utrúm veró recté consequatur, id ille viderit, qui argumentum é privantibus ad quæstionis demonstrationem petit. Sed quid est cur argumentum á proprio esse putes? Particula (*solus*) si per se spectetur, propriam semper qualitatem nõ designat: designet tamen si libet: an ideo á Martiale in illo disticho, adjuncti argumentum adhibetur? Si dixeris; dicas etiam necesse est, argumentum illud (SOLOS DIVITES) esse vel pauperibus vel opibus adjunctum. Sed ut pauper & dives, sic vita & mors, tacere & loqui, in privantibus numeranda sunt. At parium (inquis) collatione tractantur. Quid tum? Quasi in istiusmodi exemplis, non duplicis affectionis ratio spectari possit. Si eorum oppositionem, quæ é mutua dissensionis affectione elucescit, consideres: possunt ad præcepti de contrariis expositi illustrationem referri. Sin veró ipsorum in pari quantitate comparationem attendas, nonnullam ad præcepta parium demonstranda vim af-
19. ferunt. Pervenimus jam tandem (eruditissime Piscator) ad comparatorum animadversiones tuas: in quibus es accurationem quandam secutus, sed neutiquã meo judicio consecutus. Rami præcepta, tanquàm inania & nullo judicio tradita animadversiones tuæ sustulerunt. Nunquid etiam & nova pepererunt? certé nova. Non enim in sese aliquid Rameæ ac veteris elegantiæ complectuntur. Id facilimè intelligemus, si allatas abs te cõparatorum definitiones excusserimus. Age igitur: proponantur, & possintne logicarum legum severitatem ferre, videamus,

> Argumentum (inquis) á pari est, cúm in antecedente & consequente enthymematis par est ratio veritatis, seu par probabilitas.

Argu-

Argumentum á majori est, cúm enthymematis antecedens est magis probabile quám consequens.

Argumentum á minore est, cúm enthymematis antecedens est minús probabile quám cōsequens.

Hæc est illa tua in comparatorum explicatione tam insignis accuratio: ad quam refellendam quid á me in genere disputetur, attende. Primó definitionibus istis, non quæ sit essentia & natura comparatorum, sed quæ vis sit consequentiæ, cúm enthymemate disponuntur, diserté explicatur: adeó ut judicandi comparati, non autem inveniendi præceptum tradideris. Deinde qui per syllogismi partem antecedentem & consequentem argumentum logicæ inventionis definit, an non præposterum quiddam in definiendo & heterogeneum consectatur? Dialecticæ inventionis argumentum, est antecedente ac consequente syllogismi, multó prius & generalius. Tuæ veró definitiones ejusmodi sunt, ut si admittantur, anté explicanda ac cognoscenda syllogismi doctrina sit quám tradi de comparatis præcepta intelligique possint. Præterea cúm singulorum comparatorū singulæ definitiones ita instructæ sint, ut non omnibus in suo genere cōparatis conveniant; nónne lex illa κατὰ παντὸς violatur? At definitiones istæ quas affers, comparatis illis minimé conveniunt, quæ tu ad declarationem rei adhiberi vis, sed iis solummodó quæ syllogisticæ demonstrationi inserviunt. Quod veró ad majoris & minoris definitionem attinet, utraq; in alia etiam argumenta cadit. Nam si quis hoc modo argumentetur: Catilina est doctus, ideóque bonus: hîc enthymematis antecedens est magis probabile, quám cōsequens: nulla tamen á majore argumentatio est. De hoc porró enthymemate quid dicemus: Satrapes non potest sufferre tantos sumtus: tu igitur non potes. An probabilius est, minus in Satrapa ad perferendos sumtus inesse facultatis quám in homine mediocris fortunæ? Equidem hujus

enthymematis & cæterorum similium, quibus tu argumentum á majore contineri vis, antecedens minús probabile est.

At dices, probabilius esse, satrapam posse sufferre tantos sumtus, quám alium quempiam inferioris conditionis hominem. Concedo: sed illud addo, consecutionis rationem jam plané mutatã esse. Satrapes potest sufferre tantos sumtus: quid hinc consequetur? An illud? Tu igitur potes. At (inquam) tibi argumentatio á majore semper negando conficitur. An ergo illud? Tu igitur non potes. At ejusmodi á majore consecutio ridicula fuerit: & allatis abs te majorum axiomatis minimè consentanea. Quocirca in comparatorum animadversionibus assentiri tibi non possum; præsertim cúm de quolibet feré enthymemate, sive comparato sive simplici argumento concludatur, id dici possit, antecedens esse vel pari cúm consequente probabilitate vel impari.

20. Sequitur dissimilium animadversio. In dissimilibus exemplum é prima Virgilii Ecloga desumtum adhibita correctione perpolis. *Ut canibus catuli*, &c. Ais dissimilitudinem non esse, nisi ita explicetur: Non ut canibus catuli, sic Mantua Romæ similis est. Atqui veró Ramus contractam dissimilitudinem, non explicatam esse vult. Mantua (inquit) non est Romæ similis. Dissimilitudo ista contracta, est á pastore Virgiliano illustrata simili: Ut nec canibus catuli, nec matribus hœdi, sic nec
21. Mantua Romæ similis est. Quam affers de subalterno genere & subalterna specie divisionem, veram esse
22. fateor, sed minimé necessariam. Hîc Ovidianum de animalium divisione exemplum minús idoneum esse putas: quia in eo non generis in species divisio, sed distributio á subjectis contineatur. Mihi secus videtur: Nam primó genus in species tribuitur: tum unaquæque
23. species subjecto loco illustratur. Appendix illa, quam distributioni subjecisti, suis ipsa viribus plané concidit. Nam

Nam ais, te de vocabulorum ambiguorum ſignificationibus præcipere. At diſtinguere ambiguam vocem in ſua ſignificata, non eſt artis dialecticæ; quæ diſſerendi præcepta tradit: ſed hominis potiús Lexicon aliquod meditantis.

Sed enim in teſtimoniorum animadverſionibus mirificam ſubtilitatem exprompſiſti. Vide tamen quanta ex iſta ſubtilitate emerſerit confuſio. Doces, teſtimonium quatuor modis dividi poſſe: á forma: ab efficiente: ab objectis: ab adjuncto. Iſtas ego diviſiones neſcio quid magnæ confuſionis complexas eſſe diſputo. Nam quælibet teſtimonia, ſive verbis aut factis contineantur, ſive promiſſiones aut confeſſiones fuerint, ſive cum jurejurando aut ſine jurejurando extiterint, quælibet inquam teſtimonia, divina ſunt vel humana: adeó ut teſtimonii ab efficiente diſtributio, cætera omnia comprehendat. Deinde promiſſio & confeſſio, verbis continentur, aut factis repræſentantur: & utraque quum verbis continetur, eſt pronunciata aut ſcripta. Sic divina & humana teſtimonia verbis aut factis feré conſiſtunt. Porró é præcedentibus teſtimoniis quodlibet eſt cum jurejurando aut ſine jurejurando. Ac proinde in hac quadruplici teſtimoniorum diſtributione, logicæ diſciplinæ leges negliguntur. Immó & methodi inverſio iſthuc acceſſit. Nam illa ab efficientibus diſtributio præcedere debuit. Si enim author ſit á quo teſtimonium proficiſci poteſt, non tamen enumerata illa teſtimonia eſſe ſequitur. 24.

De vi probationis, ſi quis in genere perexiguam eſſe dixerit, id tibi κατὰ παντὸς non erit: quia teſtimonium veré divinum vim probationis habet maximam. De authoritate divini teſtimonii, maximam illam eſſe libentiſſimè fateor & prædico: at quæ ratio? certé non tam propter nudum teſtimonium, quám propter adjuncta perpetuó artificialia argumenta. Cúm enim Deus teſtatur, is profectó teſtatur, qui infinitæ 25.

ſemper potentiæ eſt, qui res univerſas quantumvis abſtruſas ac reconditas accuraté cognoſcit, qui errare falliq; non poteſt, qui arbitratu ſuo res ſingulas hoc illóve modo & creavit olim & creatas ſapientiſſimé adminiſtrat. De Ramea humani teſtimonii diviſione non luctabor tecum. Mihi καθόλου πρῶτον nunquam fuit.

Hactenus tuæ in logicæ inventionis præcepta animadverſiones productæ ſunt. In animadvertenda judicii doctrina non ita multus es. Utrum axioma, affirmatum an affirmans dici debeat, levis eſt controverſia: ma-
26. jor eſt illa de veri axiomatis definitione. De veritate definitionis Rameæ confiteris, ſed tuam accuratiorem eſſe judicas. Mihi tua non ſatis videtur inſtructa cõmodé. In hoc enunciato, *Quanquam Piſo eſt doctus, tamen improbus eſt*, diſſentanea affirmãdo componuntur, attamen verum axioma eſt. At fortaſſe dices, ratione vinculi disjungi iſta diſſentanea. ſit ita. Dicamus igitur hoc modo: *Non quanquam Piſo eſt doctus, tamen eſt improbus.* Vides jam diſſentanea utroq; modo disjungi: falſum tamen enunciatum eſt, at ex tua definitione ve-
27. rum eſſe debuit. Diſtributio veri axiomatis in contingens & neceſſarium, á te non immeritó reprehenditur: non enim καθόλου πρῶτον eſt. Hoc [redacted] ipſe animadvertit, ut & cætera ſi quæ ſint conſimilia. Sed quomodo
28. adhibita correctione ſubtiliús limabitur? Agedum. In axiomate diſcreto ais te á Talæo diſſentire. Ille negationem diſcreti, putat eſſe poſſe legitimam contradictioné connexi affirmati. at tu iſtud non probas; quia antecedens connexi non veré affirmatùr, ſed affirmatio ejus fingitur: at in diſcreto negato antecedens conceditur eſſe, tanquam ſimpliciter & veré affirmatum fuerit. At (inquam) cúm diſcretum negatum affirmato connexo contradicit, illius antecedens non alio modo cõceditur & ponitur, quám antecedẽs connexi, ut in illo exemplo quod affers. *Si abeſt á culpa, caret etiam ſuſpicione: Quanquam abeſt á culpa, non tamen caret ſuſpicione.* Perinde eſt ac ſi diceres, Si abeſt á culpa, vel detur abeſſe

á cul-

à culpa, non tamen suspicione caret. In disjunctis in- 29.
super elenchum quendam animadvertisti. [redacted] ge-
neratim ait significari, é disjunctis unicum esse verum.
Tu id κατὰ παντὸς nō esse differis: quia in eo disjuncto,
in quo divisio de genere diviso enunciatur, falsum esse
constat. ut, omne animal rationale est vel irrationale.
Hic (inquis) non significatur, é disjunctis unicum esse
verum. Immo veró, Piscator, & in hoc disjuncto illud si-
gnificatur. Nam si illud disjunctionis membrum de a-
nimali quovis verum fuerit, hoc certé de eodem falsum
erit: cúm utrumq; nulli animali conveniat. Sic é contin-
gentibus disjunctis unicum esse verum, mente concipi-
mus, & significare volumus. Sed ut falleris cúm axio- 30.
ma istud falsum esse dicis in eo disjuncto, in quo de ipso
genere enunciatur divisio: sic non minús erras, cúm ve-
rum esse contendis in eo tantúm disjuncto, in quo divi-
sio enūciatur de specie generis divisi. Equidem in omni
é disjunctis divisione parem veritate[redacted]t; sive sit
divisio generis in species, sive subjecti in adjuncta, aut
adjuncti in subjecta: præsertim cúm [redacted] non diffe-
rat, unicum é disjunctis semper esse re ipsa verum, alte-
rum falsum: sed id ab enunciante significari & intelligi,
é disjunctis propositis unicum esse verum. Utcunq; á 31.
te meritó reprehendantur cætera, equidem syllogismi
simplicis in affirmatum & negatum partitio reprehen-
di nō debuit. Non est (inquis) καθόλȣ πρῶτον. At (inquā)
in syllogismo composito nulla ratio habetur affirma-
tionis & negationis, si exceperis id quod de propositio-
ne compositi præcipitur, ut nempe perpetuó affirmetur.
Quod in syllogismo composito reliquum est, id totum
assumendo & tollendo conficitur: id veró quod assumi-
tur tollitúrve, utrúm affirmatum an negatum sit, nihil
interest. In simplici syllogismo aliter res habet: quia sci-
licet ex affirmatione & negatione ratio consequentiæ
dependet. Quod cúm minimé fiat in composito: necesse
non est ut affirmationis & negationis affectio ad syllo-
gismum compositum transferatur. Sed demus, conve-

nire compoſito ut affirmatus & negatus dicatur. Quomodo affirmatum compoſitum definies? an ex affirmatione omnium partium? at nullus tum é disjunctis erit affirmatus. an ex affirmatione duarum? at tum disjunctus ſemper affirmatus, nunquam negatus erit. an ex affirmatione unius? at hoc modo omnes compoſiti erunt affirmati. Quomodo etiam negatus compoſitus definietur? an ex negatione omnium? at propoſitio compoſiti ſemper eſt affirmata, an ex duarum negatione? at nõ convenit disjuncto. an ex negatione unius partis? cujus tandem? ſi cõcluſionis: non cadit in primũ disjunctum. Si alicujus ex antecedentibus: quid eſt cur ſyllogiſmus nomen negati potiús ab aliqua antecedẽtis parte, quàm á concluſione acciperet? Difficultates iſtæ non patiuntur ut affirmationis & negationis affectio, communis
32. ſyllogiſmi ſimplicis & compoſiti efficiatur. Conſimilis error eſt in ſequenti partitione ſyllogiſmi ſimplicis. Eundem [redacted] in generalem, ſpecialem, & proprium partitur. Partitio á te rejicitur, quia duo poſteriora mẽbra ſunt conſentanea. quomodo obſecro conſentanea? proprius (inquis) eſt ſpecies ſyllogiſmi ſpecialis. At inquam longé erras, ut é definitione ſpecialis, quæ proprio ſyllogiſmo non poteſt attribui, potes intelligere. Generis autem definitio ſemper ſpeciei convenit. Id te fefellit, quód in diviſione enunciati ſimplicis, ſpeciale enunciatum genus efficiatur particularis & proprii. Vocabuli igitur ſimilitudo errorem peperit. Expoſui jam (ornatiſſime Piſcator) de animadverſionibus tuis quid ſentiã. In quo ſi id aſſecutus ſim, ut te ad uberiorem [redacted] diſciplinæ explicationem, & ad depromendum aliquid é tuis præclariſſimis ſtudiis, unde ego multa poſſim meam ad utilitatem petere, vehementiús excitarim: cepiſſe me é literis hiſce ad te datis perhercle magnũ fructum putabo. Vale. Dat. Londi. 12. Cal. Iul. Anno Dom. 1581.

PRÆ-

PRÆSTANTISSIMO IUVENI, GULIELMO TEMPELLO, PHILOSOPHO CANtabrigienſi, Joan. Piſcator S. P. D.



NISI candor animi tui (præſtãtiſſime Tempelle) cùm ex amica illa Chriſtianique animi plena ſalutatione, tuæq; erga me ſummæ benevolentiæ profeſſione, quam tua manu in libello ad me miſſo inſcripſiſti: tum ex illa de tuæ ſcriptionis conſilio conteſtatione: tũ denique ex cæteris libelli tui diſputationibus quas de rebus philoſophicis variis contra diverſos commentatus es, abundé mihi cognitus atque perſpectus eſſet: equidem ſuſpicionem irriſionis mei quam ex principio epiſtolæ ad me tuæ conceperam, deponere vix potuiſſem. Quum enim nomen meum tantopere abs te extolli, tãtasque animi dotes quantas ego (excepta judicii libertate) non agnoſco, attribui mihi viderem: veniebat mihi in mentem præfationis clariſſ. viri acutiſſimique philoſophi, Jul. Cæſ. Scaligeri, ad Cardanũ: qua, de ſubtilitate ad illum, vel potiús contra illum ſcripturus, tantis eum laudibus effert, ut maximi eum facere videatur: quem tamen in ipſis illis exercitationibus ſummæ ſtupiditatis craſſiſſimæque inſcitiæ ſubinde coarguit. Similiter me abs te laudari ſuſpicabar. Verumenimveró quum cogitarem, ab officio hominis Chriſtiani alieniſſimum eſſe, ſiniſtram facilé de quoquam ſuſpicionem concipere, conceptámve alere: id mihi operam dandam exiſtimavi, ut genium animi tui ex cæteris illis commentationibus tuis quę me non attingunt, penitiús explorarem & quàm maximé poſſem intimé intuerer. Perlectis in

gitur universis, præter alias insignes animi dotes quibus te á Deo Opt. Max. ornatũ esse perspexi, eximium quoque candorem atque sinceritatem in te esse animadverti: quo factum est ut sinistra illa opinione quam initio de te conceperam, plané sim liberatus. Id quod ideo tibi significare volui, optime Tempelle, ut meum erga te ἀντέρωτα, justissimum quidem illum, testatum tibi facerẽ. Etenim si redamant aquilæ, redamant delphines amantem: cur non homo hominem, & (quod plus est) Christianus Christianum redamaret? præsertim juvenem ornatissimum atque amabilissimum, á quo ipse gemino beneficio ultró sit affectus. Nam & nomen meum laudibus quám liberalissimé prosecutus es: (quanquam id parciús factũ velim) & tua me disputatione atque provocatione ad philosophãdum de rebus subtilissimis vehementer excitasti. Atque utinam tantum mihi ad animadversiones meas vel vindicandas vel emendandas otii esset, quantum fuit ad illas meditandas & conscribendas: non equidem gravarer, vel accuratissimé copiosissiméque de his rebus scribere. Nunc quoniam gymnasii Mœrsensis nuper ab illustri Comite ADOLPHO á NeWenar mea opera aperti atque constituti, cura mihi incumbit: cogor levi (ut ajunt) brachio negotium hoc tractare. Dabo tamen operam ut quantũm in me erit, desiderio tuo satisfaciam, & mearum in Rami Dialecticam animadversionum rationem pauló uberiús tibi exponam.

1. Age igitur, quid primúm in animadversionibus meis desideras? Nempe quód adverbium *Bene* in *Ramea* Logicæ definitione redundare dixi: ut quod ipso artis vocabulo contineatur. Contra hoc judicium meum tu ex artis caussis essentialibus disputas: quas ponis præcepta tãquam materiam, & Methodum tanquam formã. tum assumis, id quod arti tanquam summum bonum proponitur (h.e. finem artis) nullam partem é materia formaque constitutæ artis assumere. Hîc primúm attendas velim, dissensionis inter nos cardinem in definitione

tione artis pené totum versari. Nam si ars rectè definitur habitus bene quippiam efficiendi: planum est, adverbium *bene* vocabulo artis contineri: ac proinde in definitione Dialectices expressè positum redundare. Si veró ars definiēda est comprehensio præceptorum catholicorum methodicé informatorum: prima quidem frōte videri possit, notionem bonitatis seu perfectionis agendi (quam uno verbo εὐπραξίαν Græci vocant) in arte inclusam non esse: veruntamen accuratiús consideráti, inclusa esse apparebit. Etsi enim nō est inclusa simpliciter, videlicet ut pars essentiæ: quo modo continetur in definitione priore: tamen inclusa est aliquo modo, videlicet ut effectum in efficiente. quo modo succus palmitū, inclusus erat in vite: quo modo fructus, inclusus erat in semine. Etenim εὐπραξία ex arte veluti manat ac gignitur. Sed utra artis definitio melior? Aristoteleáne, quam ego: an [redacted] quam tu séqueris? Age, primo omnium cōsideremus conjugatum, id est artificem. Quē ergo intelligimus artificem? nūm eum qui præcepta catholica methodicé informata, vel libro descripta habet, vel mente comprehensa tenet? an potiús eum qui præcepta illa non solúm tenet: verúm etiā iis jam sæpe multumque ad usum adhibitis atque exercitatis, quoties opus est, promté atque expedité uti, eorumque vi præclarum opus párere potest. Certé usus artem facere, usitato proverbio dicitur. Et nos Germani artem ex ea facultate vocamus *Kunst*, á verbo *Kœnnen*, id est posse: Græci veró appellarunt τέχνην, á verbo τίκτειν: quod párere significat: Nam ἔτυμον illud Socratis in Cratylo, quód τέχνη quasi ἐχενόη dicta sit, eó quód cum intelligentia mētis conjuncta sit: subtilis magis quám vera est. Quin etiam apud Latinos ut arx ab arcendo, sic ars ab artando videtur dicta: eó quód artifex partes materiæ inter sese coartet, id est coasset, coagmentet, aptet. Quód si igitur artifex vocatur is qui præclarum aliquod opus potest párere: ars etiam rectè dicetur præclari operis pariendi facultas quædam. Hîc dices fortasse, aliud esse facul-

tatem, aliud habitũ: quarum qualitatum illam, δύναμιν; hãc veró, ἕξιν Aristoteles in Categoriis appellat, & pro diversis qualitatis speciebus proponit: ac proinde si ars recté definiatur bene quippiam efficiendi facultas: non recté eandem definiri bene efficiendi habitum. Hoc si diceres: responderem, Aristotelem τῇ ἕξει id est habitui, tanquam diversam speciem opponere non simpliciter δύναμιν, id est facultatem: sed μετὰ προσθήκης, cũ additamento, δύναμιν φυσικὴν, id est facultatem naturalẽ, h.e. á natura insitam: unde equidem colligo, esse etiam δύναμιν quandam οὐ φυσικὴν ἤγουν ἔμφυτον, ἀλλ' ἐπίκλητον, id est facultatem non á natura ingeneratam, sed consuetudine acquisitam: qualis nimirum est illa ἕξις quam in categoria qualitatis definit Aristoteles. Nec veró quicquam vetat ut una eademque res, & ἕξις id est habitus dicatur, ratione subjecti á quo habetur, cuique inhæret: & etiam δύναμις, id est facultas, ratione finis, nimirum operis ad quod efficiendum destinata est.

Hisce præmissis, videamus nunc quid tua demonstratio contra primam meam animadversionem instituta, põderis habeat. Primus syllogismus tuus hic est.

Artis essentia constituitur ex preceptis tanquam materia, & preceptorũ methodo tanquam forma:

Atqui artis finis nihil é materia formaq; cõstituta artis assumit.

Quid hinc efficitur? nempe, artis finem nihil assumere ex artis constitutæ essentia. Hanc demonstrationem de fine artis in genere, si ad speciem quæstionis propositæ, de arte scilicet Dialectica, applicare velis: sic nimirũ colligendum tibi erit, ut syllogismum principalem proponas.

Nullius artis finis quicquam assumit ex artis constituta essentia.

Bene disserere, finis est alicujus artis, nimirum Dialectica.

Quid jam concludetur? nempe, Bene disserendi actionem

rem nihil assumere ex Dialecticæ constitutæ essentia. Plus certé ego ex verbis á te positis elicere bona cõsecutione non possum. Jam illa tua conclusio an cum animadversione mea pugnet, tu videris: hoc quidem apparet, te vocabulũ *artis* aliter usurpare, atq; ego illo usus sum. Ego .n. artis vocabulo usus sum ad significãdum habitũ quendam & facultatem in mẽte artificis: tu veró idẽ vocabulũ usurpas ad significandũ legitimã præceptorũ descriptionem, quorũ ductum artifex in agendo sequitur. Sed nec illud mihi probatur, quód negas, finẽ arti propositum ullã partem é materia formaq; cõstitutæ artis assumere. Primúm ipse sermo, lubricus & incõstans est. Quatenus enim arti finis aliquis propositus esse dicitur: intelligitur ars ut habitus in mente artificis; cui propter artem seu ratione artis, finis certus, videlicet, certi operis effectio, ꝓprié loquẽdo dicitur esse proposita. Quaten⁹ autẽ ars dicitur esse constituta ex præceptis tanquã materia, & methodo tanquã forma: non jam ꝓprié ut habitus intelligitur in mẽte artificis: cúm possit etiã extra artificis mentẽ ars, h.e. artis descriptio, sic cõstituta esse, ut sané est in monumẽtis librorũ. Sed rem ipsam videam⁹. Tu finẽ artis nullã partẽ é materia formaq; artis cõstitutę assumere dicis. Ergo finẽ cõsideras ut rẽ é suis partib⁹ constantẽ. quibus illis? nonne materia & forma? at nõ omnis finis, neq; etiã cujusvis artis finis, ita cõparatus est. Hoc igitur nõ est κατὰ παντὸς, fini artis absq; ulla exceptione partes attribuere. Deinde alienũ hoc ipsũ est ab eo fine de quo tu mecũ disputas. Etenim bene disserẽdi actio, non est res é partibus constituta: nam bonitas illa seu perfectio actionis, ipsa inquam εὐπραξία, si cum actione disserendi conferatur, non se habet, nec ut materia ad formam, nec ut forma ad materiam, sed ut adjũctum ad subjectum. Sed intelligamus sermonem tuũ commodiús, & impropríé partes fini attributas esse sentiamus: eamq; catachresin, tãquã tolerabilẽ admittam⁹: maximé quũ in εὐπραξίᾳ (qui finis artis est) ipsa πρᾶξις seu actio, materiæ: τὸ εὖ veró seu bonitas atq; perfectio

formæ analogiam quandam habere videatur: ſed negabíſne, finem artis, & nominatim εὐπραξίαν, quicquã ex artis conſtitutæ materia formaque aſſumere, aut ulla ex parte iis contineri atque comprehendi incluſámve eſſe? Unde igitur εὐπραξία manat ac depromitur? Negari non poteſt, quin ex ipſa arte, ex ipſa inquam artis eſſentia ſeu natura, denique ex artis materia & forma. Quód ſi εὐπραξία ex arte depromitur: neceſſe eſt ut in arte ſit incluſa. Quæris hîc ad confirmandum tuam de finibus artium ſententiam, „Ecquid finem conſtructi ædificii, materia ejuſdem ac forma, aliqua ex parte contineri dicemus?" Ego veró non puto verendum nobis eſſe, ne ſi hoc dixerimus, quiſquam nos falſæ affirmationis coarguat. quis enim conſtructi ędificii finis eſt? nunquid cõmoda habitatio? at tota commodé habitandi vis nonne ædificii materia formaque continetur? Sive enim materia ædificii non ſit bona; ſed vitioſa, putris, peſtilens; habitatio non erit ſalubris: ſive forma; aut nimis anguſta, aut nimis ampla, aut alieno loco poſita conclavia contineat; non erit habitatio jucunda. Quid? quód hîc opus artis cum ipſa arte confundis. Dixeras, finem arti propoſitum nullam partem é materia formaque conſtitutæ „*artis* aſſumere. Hoc probaturus, ſubjungis: Quid enim? „ecquid finem conſtructi *ædificii*, materia ejuſdem ac „forma, aliqua ex parte contineri dicemus? Ecce pro exemplo *artis*, exemplum *operis* artificioſi attuliſti. Quod quidem erratum, novæ ſubtilitatis inventionem (ut ſpero) nobis ſuppeditabit. Ecce enim quatenus ars ex præceptis & methodo, tanquam materia & forma conſtituta dicitur: nonne ſic operis cujusdam artificioſi rationem habet? quomodo videlicet ędificium, é ſua materia formaque conſtrúctum, opus artificioſum aut certé artificiale eſt. Quæro igitur, cujus artis vi opus illud artificioſum, é pręceptis methodoque quaſi compoſitum ſit atque effectum? Equidem eam artẽ Logicã eſſe, promtiſſimé reſpondebis. Logica igitur illa ars eſt, cujus beneficio artium præcepta legitimé conformantur? ſané.

Quæ-

Quæramus nunc ulteriús. Nonne ipsius quoque Logicę præcepta legitimé informari possunt? quis neget? maximé quum [redacted] tanta legum Logicarum observātia Logicam constitutam descriptamque videat: ut quæ legitima non sint, non multa occurrant. At cujus artis vi [redacted] artem Logicam tā legitimé informavit? Nēpe ipsius Logices. Mira[illegible]es, idem á se ipso ortum habere? At profectó ita hîc res habet. Atque hinc (ut opinor) vulgaris illa distinctio Logicæ in *docentem* & *utentem* manavit. Etsi enim Logicę usus nihil aliud est quám docere: tamen appellatione docentis Logicæ eum illius usum notasse videntur, quo ad se ipsam docendam, h.e. Logicę artis pręcepta describenda, adhibetur. Utentem veró appellarunt, quum sese extrá proferret, & ad alias artes ac omnino res quasvis alias docendas explicandasque adhiberetur. Sed ut ad propositum revertamur, excipies fortasse contra Aristoteleam artis definitionem, non esse eam κατὰ παντός: quippe quæ de solis artibus mechanicis sive ποιητικαῖς intelligenda sit. Equidem negare id non possum: quum ipse Aristoteles eo in loco πρᾶξιν ab arte excludat: quo tamen nomine nō quamvis πρᾶξιν, sed eam tantúm quę morum est, intelligit: quippe quam postea prudentiæ ut propriam attribuit: Veruntamen mihi videtur nihil vetare, quo minús verbum ποιεῖν generaliter accipiatur, per synecdochen speciei; quum generale nullū extet quod ποίησιν & πρᾶξιν, id est effectionē & actionē, tāquā species oppositas cōplectatur. Ita ut omnis ars sive ποιητικὴ sive πρακτικὴ, habitus quidam sit in mente artificis, quo is idoneus est ac promtus ad finē arti propositum bene recteque efficiendum. Verúm enimveró ut ars dicatur habitus, id tibi in disputatione tua Ethica alienū videtur. Quid ita? Quoniam (inquis) « habitus perceptionem usumq; artis potiús notat, quám « illius essentiam accuraté complectitur. De perceptione, « si rem ipsam perceptam eo verbo intelligis; quod dicis, aliquo modo concedo: habitus enim seu habitudo notat rem, quæ habetur: quæ si á natura non insit, ut sæpe ho-

minis corpori ſanitas, agilitas, pulchritudo; perceptione in habentem introduci ſolet, atque ita perceptio, h. e. res percepta nominari poſſit. De uſu verò quod dicis, nequaquam concedo. quis enim non videat, aliud eſſe habitum, aliud uſum? Uſus non eſt ἕξις, ſed χρῆσις. utitur enim artifex habitu mentis ſuæ, id eſt arte, quando aliquod ſuæ artis opus molitur: ſicut athleta utitur robore, habitu ſcilicet ſui corporis, quando ad colluctandum cum antagoniſta congreditur. Verúm in definitione artis Ariſtoteléa, nec illa tibi particula ſatisfacit qua differentia á fine ſumta expletur, videlicet κατὰ λόγυ ἀληθῆς, id eſt, cum ratione vera. Nam ut ars vera ratione nitatur, inquis, id ſatis arti non eſt. poteſt .n. id
„ vera niti ratione quod fortuitę naturæ eſt. At vel in me-
„ chanicarum artium præceptis requiritur, ut nunquam
„ in errorem artificem deducant: quod hercle (inquis) fie-
„ ri poteſt, ſi contingentem veritatem comprehenderint
At, inquam, præſtantiſſime Tempelle, tum demum reprehenſio hæc tua vim aliquam habere videretur, ſi artis vocabulo præcepta artis, ut tu intelligis, ab Ariſtotele intelligerētur. at is artis nomine habitū quendā, h. e. qualitatē quandā in mēte artificis, crebris actionib' cōparatā, ſe intelligere profitetur: Artis veró præcepta, q̄ in agēdo artifex ſequitur, iis ipſis verbis, meo quidem judicio, notare voluit. quippe is demum artificioſé & cum vera ratione agit, qui in agendo ductum certorum legitimorumque præceptorum ſequitur. Quanquam tu ipſe hîc inter artem & artis præcepta diſtinguere vidêris, ubi *artium* mechanicarum *præcepta* appellas: quæ diſtinctio ſi vera eſt, ut eſt: nō igitur rectè rurſum pręcepta artis cum arte confundis, ubi præceptis cōtingentem veritatem attribuis, quàm antea ipſi arti tribueras. Sed revoco me ab ethica tuâ diſputatione ad epiſtolam tuam dialecticam.

Quid igitur in hac prima velitatione (ſic enim hoc certa-

certamen nostrum appellare tibi visum est) quid in-
quam peragendum restat? Nempe ut ad tertium quo-
que prosyllogismum tuum respondeam: ubi meo (ut
ajunt) gladio jugulare me conaris. Tu quum fini, in- «
quis, nomen externæ caussæ affingis: eumque extra ef- «
fectum consistere, non autem effecto inclusum esse dis- «
seris: non vis hercle aliquam finis partē materia rei cō- «
positæ formaq; cōprehendi. Quid si ego hîc par pari re- «
feram: & tuo vicissim gladio tuum ipsius jugulum pe-
tam? Dicis, me fini nomen caussæ externę *affingerę*. Sē-
tis igitur, finem caussam externam non esse. Quare erit
tuo judicio finis caussa interna, & effecto inclusa. Sed
quæres, adhuc ne finē nominari velim caussam externā?
Equidem sic nominari posse puto: quia etsi finis in desti-
nato est, quod attinet ad finis efficiendi potestatē: nō ta-
men finis in destinato inest ut pars essentiā constituens:
quo modo insunt materia & forma. Exemplo declarare
conabor. Munitio pedis, finis est calcei. Et inest calceo
vis muniendi pedem, quem tamen non semper munit,
sed solúm quū indutus est: non autē inest calceo vel ipsa
munitio pedis, vel muniendi pedis vis, ut pars essentiam
calcei constituens: sed altera quidem ut adjunctum
contingens, altera veró ut necessarium. Verúm ani-
madversionis meæ conclusione reprehensa, conaris e-
tiam ejusdem rationem atque argumentum pervelle-
re. Dico, quamlibet artem habitum esse bene agendi.
Excipis: Quid tum? Illa εὐπραξία, quæ finis est cujusvis
disciplinæ, nulla ex parte materia aut forma artis con- «
tinetur. Nempe hîc rursum eandem (quod pace tua «
dixerim) cantilenam canis: & sententiam partim fal-
sam, partim á proposito alienam identidem repe-
tis. Sed addis: Quod de arte generatim dicitur, id ex «
lege καθόλȣ πρῶτον speciatim in Dialectica expli- «
catur. Artis finis, est bene agere: Dialecticæ veró, be «
ne disserere. Bene, inquam, habet. Si artis finis,
est bene agere: ergo ars é suo fine rectè definietur,

habitus bene agendi: ac proinde Dialectica, quum sit ars, habitus etiā erit bene agendi seu efficiēdi. sed quam actionē? nempe actionem docendi, seu disserēdi. Quod quid aliud est, quám Dialecticam esse docendi seu disserendi artem? adverbio scilicet *Bene* non expresso, sed artis voce comprehenso.

Ad extremum hujus primæ disquisitionis fateris: perfectionem actionis (id est εὐπραξίαν) totius artis viribus effici, & ab ipsa arte proficisci: at negas tamen, eandem in ipsa arte esse inclusam. quam quidem negationem „ dubitatione quadam corrigis, quum ais: Nisi fortasse, „ quicquid ab efficiente in effectum transfunditur, id ef„ ficiente comprehendi fatendum sit. Ego veró, si unicū hîc verbum addatur, & transfusio non solúm *Ab*, sed etiam *Ex* efficiente fieri dicatur: (quo quidem modo dicendum fuit, ut ad propositum diceretur accommodaté) omnino fatendum esse affirmo, de quo tu hîc dubitas. Quomodo enim transfundi quippiam ex efficiente posset, nisi ipso efficiente comprehēderetur? Verbi gratia: Quomodo succus ex vite in palmites posset transfundi, nisi vite succus contineretur? similiter si perfectio differendi, ex arte Dialectica (sive [redacted] sive Aristoteleam artis definitionem sequare) in actionem disserendi transfunditur: ut certé transfunditur: quis negaverit, perfectionem disserendi in arte disserendi esse veluti inclusam? Sed satis, ac fortasse plus satis de prima mea animadversione disserui: quæ disputatio si illustrioris explicationis vim continere tibi videbitur, equidem operam me non lusisse gaudebo.

2. Sequitur nunc de verbo *disserendi*: cui ego in Dialectica definienda verbum *docendi*, tanquam proprium modificato, anteponendum censeo. Tu tropum esse fateris: sed quia & illustris & usitatus sit, justam ejus rejiciendi caussam subesse negas. At ego tropum hunc nec ut obscurum damno, nec ut inusitatum rejicio: quin potiús quám illustris hic tropus sit, ex Varrone declaravi: quamque frequenter, apud Ciceronem præsertim, optimum

mum dicendi magistrum, occurrat, admonui: Verúm hinc non efficitur, *docendi* verbum non meritó, in definitione quidem constituenda præferri. Ut enim præferatur, justa hæc caussa subest: quia proprium est. quó accedit & altera, non minoris momenti: quia nimirum omnes differentiæ partes complectitur: quum disserendi verbum non omnem Dialecticæ vim (quod tu nimis confidenter asseveras) comprehendat: id quod ex tropi declaratione quam in animadversionibus meis posui, manifestum est. Sed negas, docendi verbum (ut á me « quidem accipiatur) ad omnes Dialecticæ partes com- « muniter attinere: quippe cúm mihi omnis docendi ra- « tio, enunciati & syllogismi usu vertatur. ubi ergo (quæ- « ris ex me) in tua definitione, argumenti inventio? ubi « methodi disciplina? tum asseveras, Utraque certé exclu- « sa est. At ego inventionem argumenti inclusam, disci- « plinam veró methodi si non sit inclusa, non tamen exclusam esse dico. Quid enim? Qui docet, id est vel quęstionem simplicem enunciato declarat, vel conjunctā syllogismo demonstrat: nonne quatenus hæc agit, argumentis inventis utitur? quis enim sine argumētis docere quippiam possit? At ubi manet methodus? Illi scilicet tum demum locus est, quum ad docendum quæstiones complures sunt propositę. Qui autem uno tempore quæstiones plures tractat, is nō magis docet, quám qui unicam tantúm quæstionem explicat. Plus quidem docet, & plus artis adhibere opus habet: at nō docet magis. Quare vides (ut opinor) docendi verbo methodum nō excludi: sed potiús tanquam docendi partem, aliquādo necessariam, includi.

Præterea aliena tibi videtur mea de materia & forma Dialecticæ explicatio: verúm si explicationis illius rationem expendisses, fortasse minús aliena tibi visa esset. 3. Nunc tu explicationis meæ ratione omissa, cōtra ipsam solúm explicationem disputas. Dixi, materiā Dialectices esse argumenta. Rationem apposui: quód ex argumētis constet explicatio quæstionis. Formam esse dixi,

argumentorum cum quęstione diſpoſitionem. Rationē adjeci: quoniā illa diſpoſitio faciat ut explicatio quæſtionis judicari atq; intelligi poſſit, ac proinde nomē explicationis mereatur. Hic fateor, me arti tribuiſſe qđ proprié cōvenit operi artis. ut ſi quis diceret, materiā artis ædificandi eſſe lapides, cæmentū, ligna: formā veró, illorū inter ſeſe diſpoſitionem: quum hæ partes proprié loquēdo non artis ædificandi, ſed ipſius ædificii ſint. Peto igitur ab æquis lectoribus, ut me tanquam μετωνυμικῶς locutum intelligant: ut qui deſtinato aſſcripſerim quod proprié fini convenit. Etſi autem habitudines mentis non videantur é materia formaque conſtare: tamen ut hæc illis λογικῶς tribuantur, á ratione alienum non videtur. Sicut igitur explicatio quęſtionis quę Dialectici opus eſt, ex argumētis tanquā materia, & argumentorū diſpoſitione tanquā forma videtur conſtare: ſic ipſa Dialectici ars ex argumētorum inveniendorum facultate, tāquam materia: & ex facultate eorundē diſponendorū, tanquam forma, conſtare videtur. Hîc tu rurſum ex artis definitione diſputas: nec me aliter artem definiiſſe,
» recordaris. In conſtituenda logicæ artis ſtructura, ſeu
» Dialectici artificii fabrica, ipſa (inquis) pręcepta materię
» rationē obtinent. Cōcedo. Sed ego materiam nōn ſtructuræ artis, id eſt, præceptionis: ſed ipſius artis, quatenus in mente artificis ut facultas quædam conſideratur, indicare volui. Porró formam Dialecticæ artis non eſſe argumētorum cum quæſtione diſpoſitionem, ideo tibi non placet: quód artis forma toti arti convenire debeat.
„ Hanc veró quam affers (inquis) nec capere inventio, nec
„ ſuſtinere enūciatū, nec method⁹ ferre poteſt: immó veró
„ nec doctrina ſyllogiſmi. Hîc rursū artis Dialecticę partes enumeras, quaten⁹ ea voce ipſa artis deſcriptio intelligitur: at ego Dialecticā ut habitū ſeu facultatē quandā diſſerendi in mēte Dialectici ſeu diſputatoris cōſideravi. Qua ſané ratione diſpoſitio argumētorū cū quęſtione, h. e. facultas diſponēdi argumēta cū quæſtione, ſi cū ipſa

argu-

argumentorum inventione, hoc est, argumẽtorum inveniendorum facultate comparetur, ut forma ad materiam se videtur habere, & utraq; hac facultate universam artis differendi vim atque naturam contineri. Hic autem miror, te isti meæ formę tam iniquum esse, ut ne quidẽ doctrinæ syllogismi eam convenire concedas. At ego non solũ doctrinam syllogismi, verùm etiam enunciati ista forma cõprehendi dico. quorum illud é syllogismi definitione ꝑspicitur: hoc veró intelligi ex eo potest, ꝙ dispositio argumẽti cum quæstionẽ simplici, hoc est, cum ea re de qua quæritur simpliciter, nihil aliud est quàm enunciatum. ut, quid est peccatum? Peccatum est ἀνομία. hîc definitio disponitur cũ nomine definito: quæ dispositio scilicet enunciatũ est. Cujus exẽpli occasione obiter admonere placet: definitionem absolvi posse uno verbo. id quod prima fronte mirũ videatur ei qui didicerit, partes definitionis duas esse, genus nimirũ & differentiã: ad quæ utraq; enuncianda aũt mente concipiẽda, duabus vocib. videtur opus esse. At istud necessarium non esse, & interdũ utrãq; partem voce unica cõprehendi posse, definitio illa peccati Apostolica aptissimé evincit. Esse. n. definitionem, articulus in Græco additus admonet: quippe ait Apostolus, ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Verùm hæc vox ἀνομία etsi unica est, tamen propter compositionem vim duarũ obtinet. Quum enim composita vox sit ex particula privante α, & nomine νόμος: perinde est ac si diceretur στέρησις τοῦ νόμου, privatio legis, id est, conformitatis cum lege: quam fortasse ἐννομίαν haud inscité aliquis appellaverit. Quid enim aliud est peccatum quàm inconformitas cum lege seu á lege discrepãtia? sed hæc extra propositũ. ¶ Venio nunc ad quartam quæstionẽ disputationis tuæ: an scilicet argumenti vocabulum recté adhibeatur ad significandũ rationem qua aliquid de quo quæstio simplex instituta est, nudé & absque syllogismo declaratur. Tu καταχρηστικῶς in eo sensu usurpari, non valde te mihi assentiri dicis. At catachresin exempla probatissimorum linguæ Latinæ au-

1.Joan. 3, 4.

4.

thorũ, maximé Ciceronis, abundé evinceret: apud quos argumentum quoties docendi instrumentum notat, semper ad quæstionem conjũctam syllogismo demonstrandam refertur. Ais, nullum ex omnibus vocabulis occurrere huic loco aptius, nullum elegantius. At mihi quidem perquam ineptum ac ridiculum videtur novum hoc, & ante Dialecticam á [redacted] traditam inauditũ loquendi genus, quo jam illius sectatores dicere solent:
» In hac oratione, *Ignis urit* { duo argumenta sunt. Unde præclara illa scilicet cujusdam Ramozelotæ distinctio nata est, qua iste divisit argumentum in arguens & argutum. O argutum acutissimi philosophi inventum!
» Sed nullum (inquis) occurrit elegantius: meumque illud *declaramentum* vel *documentum* cum verbo *arguẽdi* nulla ex parte conferendum putas. Parcius ista viris. Ad elegantiam sané quod attinet: fateor libenter atque etiã profiteor, *declaramenti* vocem tam malé meas ipsius aures ferire, vix ut apud quenquam pronunciare ausim. Sed non ideo nulla prorsus ex parte *declaramenti* vox cum vocabulo *argumenti* conferenda est: quin potiús illi καταχρηστικῶς usurpato longé, tanquam proprié rem significans, anteferendum est. Etsi enim elegantia verborum meritó laudatur: tamen philosophis quoties docendi perspicuitas postulat, ὀνοματοποιεῖν (ut Aristoteles loquitur) concessum est. Hinc Jul. Cęsar Scaliger, purissimus alioqui scriptor, quum Græcum verbum ἀσυμμετρία in disputatione contra Cardanũ ei occurrisset: Quę (inquit) quam ob caussam á nobis dici nequeat *improportionalitas*, nõ video. Non. n. in foro versamur, aut in Romano comitio: sed in communi theatro sapientum, sub oculis veritatis: cujus supellectilem atque apparatum, non tam nitidum, quám opulẽtum esse decet. Nec ipsius [redacted] diversum hac de re judicium fuit: ut qui in
» appellatione specierum pro vocabulo formarum, per-
» spicuam logicę veritatis intelligentiam (ut Talæus ait)
» maluit, quám rhetoricam Ciceronis elegantiam: ac si
» peccandum hîc sit, judicavit multó satius esse peccare in volupta-

Consentit Cicero lib.3. de finibus, non procul á principio, item lib.1. Acadẽ. quæst. De subtilit. exercit.1.

voluptatem aurium, quám in rerum notionem & sensum: quod accideret, si duo argumēta uno verbo appellaremus. Nec propterea in fingendis vocabulis monstrosam illam barbarorum (qui scholastici vulgó dicūtur) temeritatem probo: sed analogiam prudenter observandam judico: qua equidem, vocabula illa á me usurpata, *documenti* inquam & *declaramenti*, tueor atque defendo. Porró duplicem argumenti usum P. Ramo plané incognitū fuisse non sentio: sed tamen nec distinctis appellationibus ab eo explicatum, nec in exemplis Inventionis distincté & quantum satis erat, proponendis observatum esse conqueror. Id quod uno atque altero exemplo demonstrare non gravabor.

In capite de materia, item de forma, item de effectis, nullum ponitur exemplum demonstrationis. nam qui syllogismus ex facto Alexandri, qui Parmenionem & Philotam propter conjurationis suspicionē morte mulctavit, elici potest: eo non demonstratur quæstio ex effecto, sed ex caussa: Etsi enim conjuratio ac deliberatio Parmenionis & Philotæ de necando Alexandro, effecti cujuspiam rationem habere videtur, si comparetur cum iis ipsis viris: tamen collata ad quæstionem quam Alexander concludebat, caussæ rationem habuit. Sic enim nimirum ille argumentabatur:

Qui in necem meam conjuravit, is morte mulctandus est:

At Parmenio & Philotas in necem meam conjurarunt:

Ergo morte mulctandi sunt.

Hîc certé conjuratio, id est peccatum: ad mortem, id est pœnam, sese habet ut caussa ad effectum. Jam exempla declarationis ac demonstrationis nō esse distincté proposita, passim animadvertere licet. In prima distinctione efficientis, primúm ponitur exemplum argumentationis ex Ovidio, Fuge otium: & effugeris amorem. Secundum exemplum ex Virgilio de parentibus Æneæ, continet quidem illud argumentationis cō-

clusionē:sed quæ procedit ab effectis: Æneas non miseretur amantis Didonis, hospitæ beneficentissimæ: Ergo non est natus matre Venere & patre Anchise. Quatenus veró istud exemplum huc pertinet, declarationem continet quæstionis simplicis qua quæritur, Quibus parentibus ortus sit Æneas. At declarationis exempla videntur exemplis demonstrationis præponenda, tanquā priora τῇ φύσει. quippe quemadmodū se habet enūciatū ad syllogismum: ita se habet declaratio ad demonstrationem. Mihi certé confusio ista probari non potest, qua diversarum actionum vocabula, declaratio nimirū & demonstratio, promiscué & tanquam synonyma usurpantur. quemadmodum Talæus illud Virgilianum

Æn.4. exponit, *Degeneres animos timor arguit*. id est, ostēdit, declarat. At, inquam, *declarare* nō est idem quod *ostendere* seu *demonstrare*, seu denique *probare*. Hoc enim nō nisi syllogismo, illud absque syllogismo fit. Sic nomē definitione declaratur, non demonstratur seu probatur. Itaque arguendi verbum in isto Virgilii loco exponendum est verbo demonstrandi seu probandi, non autem declarandi. Argumentatur enim iis verbis Dido apud Annam sororem de novo hospite Ænea, cumque virum generosum esse, concludit tali syllogismo:

Degeneres animos timor arguit:
At Æneas non timet:
Non gerit igitur animum degenerem: sed generosum.

In summa, optarim ego, lucē hujus distinctionis quám clarissimé omnib⁹ veritatis studiosis innotescere. Quod quidem fieri plené non potest, nisi simul distinctio quæstionis quam attuli, observetur. Mihi quidem certé utraque ista distinctio magnam lucem doctrinæ Inven-

5. tionis logicę afferre videtur. Tibi veró, mi Tempelle, (ut ad quintam quæstionē accedam) distinctio illa quęstionis probari nō videtur: ipsam quidem meam de quęstione prçceptionem trifariam reprçhendis. primúm, quod

expli-

explicatio subjecti non videatur in artis præceptis esse informanda: deinde, quód, si informanda subjecti explicatio sit, subjectum generale & ad omnes artis partes pertinens indicari debeat. tum assumis: quæstionem generale Dialecticæ artis subjectum non esse: ut quę nõ sit inventionis, non semper axiomatici judicii, non methodi subjectũ. Postremó pręceptum quæstionis, utpote quæ ex argumentorũ conjunctorum ambiguitate oriatur, in arte dialectici judicii exponendũ fuisse. Age singula ista ordine consideremus. Subjecti præceptio videtur sané non semper necessaria esse: ut apparet in Arithmetica & Geometria: quarũ illa distinctionem rei numerandæ, hæc metiendæ nullam (ut videtur) postulat: attamẽ est quãdo subjecti distinctio utilis, immó necessaria videatur. ut quando in Musica cantus in mollẽ ac durũ dividitur: cujus utriusque canẽdi non éadẽ certé est ratio. Sic mihi videtur de distinctione quæstionis in Dialectica, quum illa dividitur in simplicem & conjunctam: eo sensu qui á me in animadversionibus declaratus est: quippe quum utriusque quæstionis explicandæ non éadem sit ratio: nisi declarare ac demonstrare idem sint. Atque hæc mea de subjecti præceptione sententia est. Sed esto, præcipiatur de subjecto Dialecticæ: tum certé notari debet subjectũ generale & totius artis cõmune: quale subjectum Dialectices, quæstionem nõ esse contendis: quippe quod nec invẽtionis sit, nec semper axiomatici judicii, nec deniq; methodi subjectũ. Hîc tu rursum artis vocabulo artis pręcepta, nõ ipsam secundũ illa præcepta agendi facultatẽ intelligis: quũ ego quæstionẽ Dialecticę ut facultati in mente artificis, subjectã esse sentiã: quippe quum in quęstione explicanda omnis differendi vis occupetur atq; exerceatur. nã pręceptionis de bene differendo (quã nonnulli Dialecticã docentẽ appellãt) subjectũ, sunt ipsa differẽdi seu docendi instrumẽta: q nimirũ sunt ea quę tu enumeras, invẽtio argumẽti, axioma seu enunciatum, syllogismus & methodus. nam q̃ Scaliger ponit, non sunt omnia, nec recté enumerata: *De subtilit. exercit. I. sect. 3.*

» videlicet propositio, divisio, definitio & demonstratio. Propositionis nomine intelligit pronunciatum, quod tu cum [redacted] veteres Græcos, Cicerone teste, secutus, axioma nuncupas. Divisio & definitio duæ species argumenti sunt: omittũtur ergo tot reliqua argumenta. Denique demonstratio Scaligero (nisi fallor) non quivis syllogismus intelligitur: sed is tantùm qui constat ex materia necessaria: qualem intelligit ac describit in suis Analyticis Aristoteles. Excluditur ergo is qui ex materia cõstat contingente, quem syllogismum dialecticum Aristotelici nominant. Sed ut ad reprehensionem tuam redeam: illud quoque te considerare velim, me usum loquendi magistrum sequutum, quæstionem appellasse *μετωνυμικῶς*, id ipsum quod ad docendum est propositum. quod si cõsiderasses: animadvertisses profectò, me Dialecticæ subjectum revera idem cum [redacted] ponere, nimirũ generale illud quod [redacted] verbis Aristoteleis *ὄντος καὶ μὴ ὄντος* notare solitus fuit. Tu verò vocabuli *quæstionis* propriam significationem hîc sequeris: quãquam non satis constanter de quæstione sic intellecta
» differere mihi vidêris. dicis enim, quæstionem non sem-
» per esse subjectum judicii axiomatici. quibus verbis sanè innuis, interdum esse. id quod ego sic intelligo: non semper, sed interdum axiomatis seu enunciati usum hũc esse ut eo ad quæstionem aliquã respondeatur. Quod si ita intelligis: fatearis igitur necesse est, esse quæstionem aliquam simplicem. nam ad hãc solam nudo enunciato respondetur. At paulo pòst affirmas, quæstionẽ oriri ex argumẽtorum conjunctorum ambiguitate, hoc est (ut ego loqui malim) ex dubitatione de enunciati alicujus veritate. id quod de conjuncta solùm quæstione verum est. Simplex enim quæstio non ex dubitatione de veritate, sed ex rei obscuræ ignorãtia proficiscitur. Nec verò quum [redacted] quæstionis divisionẽ à præceptione Dialectices alienam esse disputat, ea quã ego attuli, divisio in mentem ei venisse videtur: sed solummodo distinctio illa Aristotelea in quatuor genera, εἰ ἔστι, τί ἐστι, ὅ,τι ἐστὶ seu

ὁποῖόν τι

ὁποῖόν τι ἐστὶ, καὶ διότι ἐστί. item divisio illa τοῦ ὄντος in decē genera, substantiam, quātitatem, qualitatem, & cętera. Cōtra has enim divisiones nominatim disputat. Et meritó: quum illæ non sint rationis, sed rerum. At nostra divisio, rationis est. nam certé alia ratio quærendi est qua quæritur de natura rei simpliciter: alia, qua de duarū rerum inter se logicé (per affirmationem scilicet aut negationem) conjunctarum, hoc est de pronunciati veritate.

Restat nunc ut consideremus, quo in loco & in qua artis parte de quęstione præcipiendum videatur. In arte Dialectici judicii, inquis. Quid ita? Quoniam quæstio, « inquis, ex argumentorum conjunctorum ambiguitate « oritur. At præterquam quód hæc ratio non est in totum vera: (quæritur enim non solúm de pronunciati veritate: sed etiam de rei natura: ut pauló anté admonui) non etiam videtur firma. neque enim major ratio videtur esse ut de quęstione præcipiatur ibi, ubi præcipitur de ipsius originali caussa: quám ubi de adjuncto. Adjunctū autem quęstionis, est ipsa in universum disserendi ars, ut suprá declaratum est. Ut autem statim in principio post Dialecticæ definitionem definitio divisioq; illa quęstionis tradatur, prorsus gravis videtur esse ratio: quód ex illa distinctione quæstionis, pendet admonitio de duplici argumētorum usu: quæ mihi quidem videtur doctrinæ Inventionis permagnam lucem afferre.

Sed meam documenti distinctionem vehementer 6. improbas. An una eademque res (inquis) pro duplici usu « duplex statuetur? Si intelligis unam eādemq; rem generalem, simpliciter affirmo: quæro enim vicissim ex te, an non ex fine æqué atq; aliis caussarum generibus partiri liceat? non negabis, opinor. At quidnam usus aliud est, quám rei destinatę ad suum finem applicatio? Quód nisi distinctionem quæ ex rei usu petitur, ad distributionē ex fine referre placet: referri tamē meo quidem judicio poterit ad distributionem ex adjunctis. Etenim utilitas rei, est qualitas quædam rei inhærens ad certum finem

efficiendum.Si veró intelligis rem ſpecialem & ſingularem:equidem multiplicitatem illã (ut ita loquar)aliquo modo concedendã puto:etſi enim res numero una manet,tamen pro vario uſu ſeu utilitate,varias rationes recipit. Sed pergis interrogando me urgére : Idem equus (inquis) arationi ſcilicet & vecturæ deſervire poteſt : ideóne in duo genera diſtrahetur? Emphaticé ſcilicet hoc verbo uti voluiſti : metuis enim fortaſſe (pátere quæſo me tecum jocari)ne ſi idem equus nunc aret,alio tempore vehat,in diverſas partes miſer diſtrahatur, atq; ita peſſum detur. Sed tu hîc elenchum committis homonymiæ. nam documentum(cujus tu diſtinctionem meam reprehendis)á me conſideratur ut genus:tu veró equum conſideras, non ut genus: ſed ut ſpeciem ſpecialiſſimam.nam quid vetat,quó minus equus ut genus,recté & logicé ex adjuncta utilitate,aut ex finibus ad quos deſtinari equi ſolent,in certa genera diſtribuatur:ita ſcilicet ut equorum alii dicantur eſſe aratores, alii vectores : cujuſmodi eſſe ſolent,illi quidem ruſticorum,hi veró nobilium. quam quidem diſtinctionem ipſe uſus,loquendi magiſter, approbavit. hinc enim noſtræ gentis appellationes illæ,quum equos ruſticorũ vocant *ackerpferd*, id eſt,equos aratores·nobilium veró , *reutpferd*, id eſt,equos vectores. Etſi enim & ruſticorũ equi ad vehendum, & nobilium ad arandum natura ſunt idonei: tamen educatione alii ad aliud opus magis aſſuefacti ſunt, ac proinde magis etiam idonei : unde vulgó tanquam á principaliori (ut loquuntur) fit denominatio. Tertia tua interrogatio de Sequana Pariſienſi parumper me commovit:ſed mox vidi,eandem illius cum precedente rationem eſſe. nam Sequana re quidem unus manens fluvius, plures tamen propter varios uſus rationes recipit. Sed membrorum diviſionis meæ conſideratio, & ὑποδιαίρεσις majorem iuſtæ reprehenſionis ſpeciem habet: eó quód diſſidentibus generibus eędem ſpecies affingi videãtur.At ego hic ęquitatem á te poſtulo: neque enim diſtributionem documenti meam properſe-

perfecta generis in species divisione, sed tãtùm pro quadam distinctione accipi volo: cujusmodi distinctiones caussæ efficientis á præceptore nostro P. Ramo traditas esse non ignoras. Atque hanc meam esse sententiam, ex verbis meis percipere plané potuisti: ubi dixi, rationes quę tum ad declarandum, tum ad demonstrandum, id est, omnino ad explicandum docendúmve adhibentur, *easdem esse reipsa*: sed ratione usus differre. Itaque mihi sic sentienti necesse non est, declaramentũ & argumentum tanquam εἴδη ἀντιδιῃρημένα, seu (ut tu elegãter lóqueris) dissidentia genera, peculiari unumquodq; ὑποδιαιρέσει partiri: satis est, si documentum in eadem illa genera distribuã, in quæ argumẽtũ á [redacted] dividitur. Quã meæ sententię declarationem si æquus admiseris: spero, inchoatam illam meam Logicæ artis delineationem, elegantiorem tibi deinceps visum iri.

Sequitur septima quæstio, recténe argumenta per se considerari dicantur. Reclamo: idque (nisi vehementer fallor) meritó: quia scilicet argumentum, sine eo quod arguitur nec esse nec intelligi potest. Tu quid contrá. Quid [redacted] velit (inqs) nõ assequeris. Fieri potest ut nõ assequar: sed sive ante tuam declarationem, sive nunc demum assequutus fuerim; non tamen in ea sententia mens mea acquiescere potest. Quid enim? potéstne ullum relatum quod meré ac puré relatum est (quod *secundum esse* vocãt) sine eo cõsiderari ad quod refertur? Minimé, inquã. At argumẽti nomẽ & natura tota in relatione quadã consistit. neque enim anté argumẽto cuiquam nomen certi generis attribuere potes, nisi ipsum cũ quæstione cõtuleris: quippe pro diversitate rerum de quibus quęritur, notio quę ad explicãdum adhibetur (id est argumẽtum) varias rationes admittit. Immó unum idemque argumentũ in uno eodemque syllogismo, pro duplici ad partes quęstionis çõcludendæ ratione, duplex nomen admittit. Verbi gratiâ,

7.

Omne animal sentit:
Omnis homo est animal:

Ergo omnis homo sentit.

Hic argumentum *animal* si conferatur cum quæstionis parte antecedente, rationem habet generis: subjecti veró, si cum consequente: cum quo quidem potiús in omni syllogismo conferendum videtur, útpote cum principaliori parte, de qua quæritur an parti antecedẽti veré attribuatur, nec ne. Jam veró hæc argumenti cum altera quæstionis parte collatio, poteſtne á mente institui aut perfici abſq; axiomate seu enunciato? Equidem si hoc fit: quomodo fiat, me non assequi fateor. Ego quidem certé id non interveniente enunciato, tãquam necessario instrumento, facere posse mihi nõ videor. Quũ enim unde argumentum sumtum sit, inquiro: ita cogitationem instituo: Argumentatur ille ad hunc modum: Homo est animal: ergo homo sentit. quomodo igitur animal ad sensum se habet? certé ut subjectum ad proprium adjunctum. Ex quo enunciato, nempe (Animal ad sensum se habet, ut subjectum) jam intelligo, argumentum istius enthymematis á subjecto sumtum esse: quod certé abſq; illo enũciato quomodo intellexissem, aut intelligere possim, non video.

8. Jam in prima argumenti partitione reprehendenda non minús tibi errasse videor. Gaudeo certé si utriusque reprehensionis par sit ratio: nam in priore me nequaquã errasse, evidenter modó demonstravi. Sed quam ob caussam testimonium argumentum inartificiale á Ramo dicatur, non satis acuté me interpretatum dicis. Ego veró non moror, quo sensu Ramus eo verbo usus sit: sed quám bene usus sit, animadvertendum mihi esse putavi. Quæro igitur: Argumentum artificiale cur sic appellatur? Num quia ex sese arguit? at hæc definitio ad nominis rationem nihil attinet. Cur igitur? Nempe ideo, quia

1.Rhet.2. (ut recté Aristoteles explicat) διὰ τῆς μεθόδου καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν ἐστι. hoc est, quia per artificiosam institutionem ac per nos acquiri atque comparari potest. Quare contrá, inartificiale ideo dici intelligendum est, quia per artis præceptionem ac per nos com-

parari

parari non possit: quorum posterius de testimonio Aristoteles affirmat: sed falsó. Etsi enim testimonia ad confirmationem alicujus caussæ (nam de forensibus caussis Aristoteles proprié ibi loquitur) in potestate oratoris nō sunt: tamen in ejus potestate est, ex admonitione & præscripto artis Dialecticę, de testimoniis cogitare, & testes in medium producere. Tu veró quam hujus nominis expositionem affers? Testimonium ideo, inquis, inartificiale dicitur, quia arguendi vim ab artificialibus assūmit. At hæc interpretatio quám acuta sit, tu víderis. Mihi potiús quodam modo artificiale argumētum appellandum testimonium videtur, si ab artificialibus vim suam assumit. At repetes, artificialibus argumentis credi propter se ipsa: inartificialibus, id est testimoniis, propter artificialia: nempe propter testantis adjunctos mores aut ingenium. Esto: sed quid hoc ad nominis rationem, de qua sola hîc quæstio est?

Porró ad caussarum tractationem quod attinet: non 9.
placet tibi, quód verbum *Fit* ad perficiendam caussę definitionem adjungendum puto. videtur enim tibi particula *Est* cujuslibet caussæ vim satis enucleaté cōplecti. Optarim equidem, unico verbo differentiam in caussæ definitione absolvi posse: valde enim rotunda illa brevitas nescio quo modo jucunda est; & verbum *Fit* verbo *Est* ad complēdum differentiam adjectum, divisionem sapit. Sed meminisse debes, plures esse res quám rerum vocabula: ac proinde quum generale nomen desideratur, nominibus specierum ad significādum genus anonymum adhiberi quadam necessitate solere. id quod aliquot locis á [redacted] διχοτομίαν consectante observatum esse non ignoras. Sic enim efficientem caussam & materiam pro uno genere anonymo proponit: similiter conjungit formam & finem: item cōjugatá & notationem, denique distributionem & definitionem. Quare quum verbum *Esse* efficientem caussam & finem non satis enucleaté notet: (neque enim dicere usitatū est, aliquid ab aliquo, aut alicujus rei gratiâ *esse*: sed

fieri aut *factum esse*, aut *factum iri*) Verbum autē *fieri* singulis caussarum generibus cōveniat: sané si alterutrū in definitione caussæ omittendū sit: satius fuerit omitti verbū *Esse*, quám *fieri*: pśertim quū quaten' res ex materia & forma *esse* dicitur, materia & forma non tā caussarū quā partium rationē habeant. Essentia.n.rei ex materia & forma, tanquam integrum ex membris constat.

10. Non etiam tibi placet quód caussam divisi in externam & internam: quarum illā in efficientem & finē, hác veró in materiam & formam rursus distinxi: meque mo
» nes ut videam, ne dum partitionis elegantiam cōsecter,
» á lege methodi descivisse videar. Nam si rei effectæ finis
» extiterit, inquis: necesse est, pręcessisse materiā & formā:
» at si materia fuerit, non ideo sequitur finem esse. Hīc primúm animadverto, apodosin antitheseos tuę imperfectā esse. Cúm.n.de antecessione materiæ & formę dixisses, in apodosi solius materiæ mentionē facis. Deinde harum sentētiarum prior laborare mihi videtur eo fallaciæ genere (fallaciæ mentionem facio, non quód sentiā te fallere velle, sed quód te falli existimem) eo inquā fallacię genere quod Aristoteles vocat παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον. nam quód necesse est præcessisse materiam & formā, si extiterit rei ęffectę finis: nō ipse finis, sed potiús res effecta in caussa est: quippe quæ ex materia & forma generata atque constituta est. Finis autem etsi materiam nō semper antecedit, tamē antecedere potest, & quidē in prima rerū creatione antecessit: in quā hic caussarū ordo sese offert. prima, efficiens; Deus: proxima, finis; gloria Dei: tertia, materia; chaos: postrema, forma; sex dierum spatio partim é materia educta, partim in eam introducta. quod postremum de forma hominis intelligo: quam creator in nares hominis teste Scriptura insufflavit. Etsi autem gloria Dei ab æterno proposita Deo fuit, ac proinde tempore simul est: tamen ordine naturæ Deus ipse ut prior in cōsiderationem venit. Unde quoq; intelligitur, finem in rerum creatione priorem materia fuisse. materia.n.ab ęterno nō fuit, sed eo quo visū Deo

fuit,

fuit,tempore creata est:ad creandum autem tum illam, tum ex illa mundum,ipse finis,gloria scilicet sua, Deum permovit. Hic caussarum ordo aliquo modo etiā in rebus humanis observari solet. Verbi gratiâ, qui domū ędificare vult: is primúm ad hoc faciendū movetur fine, nimirū ut cōmodé habitet:deinde quęrit architectū,cujus ea feré est ratio, ut jam ante ædificaturi deliberationem ac propositū in rerum natura fuerit: vix enim quisquam tam longé in futurum de ædificanda sibi domo deliberat, ut nasciturum aliquem architectum velit expectare.porró architecto cōducto, curat illi materiā, ex qua educat sua arte ædificii formam. Objiciat hîc fortasse aliquis é sacra historia,denunciationem illam consilii Dei ad Davidem de Salomone nascituro qui domū nomini ipsius ędificaturus esset.Cui objectioni breviter respondendum puto:quæ hominum respectu futura dicantur, eâ Deo esse præsentia: coram cujus oculis (teste scriptura)omnia resupina jacent. Jam ad posteriorem hujus loci sententiā tuā quod attinet:falsam eam esse,ex iis quæ jam dixi, apparet. nam si materia fuerit:sequitur inde, finem præcessisse.Sicut enim finis primum efficiētem(nempe Deum)in mundo cōdendo impulit ut materiam ex nihilo crearet: sic etiam finis efficientes secūdos, (ut homines) in operibus artificiosis efficiendis,ad materiam comparādam ac præparandam impellit. Sed negas,si in re componēda de fine primúm cogitetur,idcirco illum cęteris caussis natura priorem dicendum esse. Neque veró ego hoc dico:nam efficientem fine priorem statuo: nō autem simul materiam & formam (ut tu facis)illi præpono.

In undecima quæstione de amplificata prima efficiētis distinctione, diligentiæ meæ paulo æquior es: quæ si cuiquam inutilis aut supervacanea videtur, per me licet ut illam non valde curet.præsertim quum cōtrarietas in aliis quoque argumentorū generibus locū habeat. neq; .n. solæ efficientes caussæ contrarietatē recipiunt: ita ut generāti corrūpens, procreāti abolens, cōservanti labe- 11.

factans é regione opponatur: verúm etiam opponi inter se possunt contrariæ materiæ, contrariæ formæ, cōtrarii fines, contraria effecta, contraria subjecta, contraria adjuncta: similiter contraria nomina, contrariæ notationes, cōtrariç distributiones, contrariç definitiones: deniq; etiam contraria testimonia. Veruntamen cōtrarietatis usus in efficientibus caussis uberior esse atque illustrior videtur.

12. Jam in ea quam attuli, partitione formæ, omnes illas de artis materia formaque leges violari affirmas: sed affirmationis tuæ nullas rationes affers. nam quam affers, non ad ipsius partitionis, sed ad membrorum partitionis definitiones pertinet: in quibus equidē me hallucinatum fateor: ut qui voces latiús patentes, angustioribus significationis limitibus circumscripserim. Sed ut affirmationi tuæ fidem faceres, quatuor ad minimum rationes in medium attulisse oportebat: continet enim illa enunciatum copulatū quatuor partium: nempe hoc, Partitione formæ in substantialem & accidentalem violatur & lex κατὰ παντὸς, & lex καθ' αὑτὸ, & lex καθόλου πρῶτον, & denique lex methodi. Ad quæ singula quid respondeam, attende quæso. Ad primum: Omne Ens, aut substantia est aut accidens. Ergo omnis forma per quā ens est id quod est, aut substantialis est aut accidentalis. Est igitur divisio proposita κατὰ παντός. Ad secundum: Formæ definitio ad præcepta Logicæ proprié pertinet: Ergo & formæ partitio. Partitio igitur formæ in Logica est καθ' αὑτό. at num ideo partitio proposita erit καθ' αὑτό? Sané. Est. n. & κατὰ παντὸς; ut demonstratū est: & rei quç est καθ' αὑτό. Jam ad tertiū. Sicut omnis forma aut substantialis est aut accidentalis: num sic vicissim quicquid aut substantiale aut accidentale est, id etiam forma est? Hoc quidem affirmare non ausim. Nam & reliqua argumenta partitione eadem continentur. Sunt enim & caussæ substantiales, ut parentes caussa sunt liberorum; & accidentales, ut otium caussa est amoris aliorumque vitiorum. similis est ratio in reliquis. Fateor igitur, partitione

tione ista violari legem καθόλȣ πρῶτον. Restat lex methodi: num & illam violari dicemus? Equidem qua ratione id dici possit, non video: sed formæ partitionem definitioni formæ convenienti loco annexam judico.

Finis distributionem ex Rodolpho Agricola repeti- 13.
tam illustrare volui: non quód illam plané necessariam, sed quód utilem esse judicarem: sed eam negligi facilé patior: maximé quum finis qui subordinatus dicitur, quatenus talis est, non jam ampliús finis, sed destinati rationem habeat. non secus ac genera subalterna quando cum superiore aliquo genere conferuntur: tum non ampliús generum, sed specierum rationem suscipiunt.

Reprehensione decimaquarta sic scribis, Quod veró 14.
ad parem rei explicandæ & illustrandæ facultatem at- "
tinet, quam in subjecto & adjuncto esse vis, in eo mihi "
non persuadebis, nisi aliqua ad authoritatem tuam ra- "
tio accesserit. Primúm attendas velim, me non de vi "
rei explicandæ & illustrandæ, sed sententiæ probandæ seu demonstrandæ locutum esse: id quod verba mea
aperté profitentur. ita enim scripsi, Immó par adjun- "
cti & subjecti in *argumentando* vis est: interdum qui- "
dem necessaria, interdum veró probabilis: ut pauló "
póst in exemplis intelligetur. Et hîc, tu, quasi ego pro authoritate præceperim, rationem adjungi postulas! An non satis magnam ad propositum demonstrandum rationem continent *exempla*? quæ Plato haud inscité vocat ὁμήρȣς τȣ̃ λόγȣ, id est vades disputationis. Ea autem exempla partim ab ipso authore proposita sunt, partim á me adjecta. Author exempla argumentationis ab adjūctis tria proponit: primum ex Cicerone de Fannio Chærea, secundum ex Martiali de Zoilo, tertium ex Platone de miseria civitatum. quorum exemplorū duo priora vim argumentationis probabilem seu contingētem: postremum veró necessariam continet. Similiter exempla á me annotata tria sunt: primum ipsius Christi de veritate sui corporis, secundū Eliæ prophetæ de vero

falſoque Dei cultu: poſtremum de ſacrificio Abelis: quæ ſingula argumentandi vim neceſſariam obtinent. Et certé in graviſſimis theologorũ de perſona Chriſti controverſiis, argumenta neceſſaria ab adjunctis proprietatibus ad demonſtrandum veritatem utriuſque naturæ, θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος, adhiberi ſolent. Nec non extra argumentationem maximus adjunctorum uſus eſt in ſacris ſcripturis, ad declarandum nobis naturam Dei:
Exod.34, 6. 6 & 7. qualis eſt inſignis illa Dei deſcriptio quam Deus ipſe in monte tranſiens Moſen, pronuntiabat. Sed ais prætereа, ſententiam meam non eſſe κατὰ παντός: Nam vir-
„ tutis utilitas (inquis) magis é ſubjecto in quo exercetur,
„ quám ab adjũcta laude illuſtratur. Verúm hæc ratio cũ mea ſententia non pugnat: quippe quæ non de illuſtratione, ſed de probatione loquitur.

15. Definitionem propriæ qualitatis [redacted] excuſas
„ per illius conſilium, quód ſcilicet non accuraté definire
„ propoſitum habuerit, ſed cõmunem voluerit ſequi lo-
„ quendi conſuetudinem. At hoc [redacted], tam acrem ſermonis cenſorem, nequaquam excuſat: præſertim quum illa loquendi conſuetudo non ſit popularis, ſed ſcholaſtica: quippe quæ ex iſagoge Porphyrii in ſcholas Peripateticorũ manavit. quod vulgó proprium quarto modo appellant: eó quód hic proprii modus apud Porphyrium quartus ſit. Quorum modorum definitiones Porphyrianas quum [redacted] in ſuis ſcholis jure reprehenderit: non ſatis cõſtanter hoc loco inertis ſophiſtæ ſomniũ potiús quám communem ac popularem loquendi conſuetudinẽ ſecutus eſt. Sed negas, tibi rationem meam
„ ſatisfacere; quia non ſit καθόλου πρῶτον, id eſt reciproca.
„ Etſi enim propria qualitas veré dicatur, quę ſoli ſubjecto
„ convenit: non tamen viciſſim, quicquid ſoli ſubjecto
„ convenit, propria qualitas eſt: ut liquet é duobus exem-
„ plis, anima & arbore, quæ tu hîc ad me convincendum attuliſti. Verúm hic tuus elenchus ſophiſticus eſt, & ex figura dictionis non obſervata fallit. Quippe quum dicitur, *Propria qualitas eſt quæ ſoli ſubjecto convenit:*

per ellipsin Grammaticam post verbum *Est*, intelligitur repeti nomen *qualitas:* quasi diceretur, *Propria qualitas, est qualitas quæ soli subjecto convenit.* Quod certé enunciatum reciprocatur. Deinde falsó mihi attribuis, quód propriam *qualitatem* definiverim: definivi enim *proprium* γενικῶς.

Videamus nunc, an meritó reprehenderim in disparatis exemplum de liberalitate & avaritia. Dixi, illa non disparari, sed adversari. tu affirmationis meæ argumentum expectas. Affero igitur adversorum definitionem, ex eaq; affirmationem meam sic concludo: 16.

Contraria affirmantia quæ inter se velut é regione perpetuó adversantur, sunt adversa:

Atqui liberalitas & avaritia sunt cōtraria affirmantia quæ inter se velut é regione perpetuó adversantur:

Liberalitas igitur & avaritia, adversa sunt.

Assumtionem probo ex effectis. Liberalis dat libenter, quoties & quibus dandum est: avarus non dat, sed sibi retinet. Sed affers meam ipsius refutationem, atq; ita meo me gladio scilicet jugulas. At observare potuisti, refutationem illam in capite de contrariis, non ita á me allatam esse, quasi in ea acquiescerem: mox enim adjeci, definitionem illam Aristotelis qua refutatio ista nititur, falsam mihi videri: nimirum propter ἐνστασιν exemplorum quę ibi á me enumerata sunt. Sed ne me, meo scilicet gladio vulneratum, absque vulneris obligatione dimittas (qua in re amici gladiatoris officium facis) impertis mihi aliquid disciplinæ tuæ: & ais, tibi liberalitatem & illiberalitatem adversa esse: speciem veró illiberalitatis in avaritia, esse liberalitati disparatum: quum non é regione eidem adversetur. Fateor, hanc institutionem mihi prima fronte arrisisse. Sic enim cogitabam: Quemadmodum homini ut adversum opponitur bestia: at species

bestiæ (verbi gratiâ equus) opponitur eidem homini ut disparatum: sic quum liberalitati opponatur illiberalitas, ut adversum: consequens est, ut avaritia tanquam illiberalitatis species, eidem liberalitati ut disparatum opponatur. Verùm re diligentiùs considerata, deprehẽdi apodoseos, hoc est sententiæ tuæ, falsitatem. Etenim ut non dicam, prima fronte videri posse, illiberalitatem, quum sit vocabulum negans, non opponi liberalitati ut adversum (hoc enim non probo; quum & nomen Irrationale in divisione animalis, differentiam adversam notet) hoc quidem certé falsó mihi dici videtur, avaritiã esse illiberalitatis speciem: quum illiberalitatis & avaritiæ nominibus una prorsus eademque res intelligatur. Nec obstat, quod appellationum diversa ratio est: Avarus enim ex eo dictus est, quód semper aveat & plura habere cupiat: illiberalis autem, quód non libenter det. Illud veró quod tu verbis tuis innuere vidêris, videlicet alteram illiberalitatis speciem esse prodigalitatem, item falsum est: quippe tantum abest ut prodigus pro illiberali habeatur, ut etiam nimium liberalis esse videatur ac dicatur. Dices fortasse, nimiam liberalitatem non esse liberalitatem: quia in virtute nihil sit nimium. Sané veró, prodigalitas non est liberalitas illa quæ κατ᾽ ἐξοχὴν sic appellatur: hæc enim laudabilis est, at illa vituperanda: veruntamen quum prodigalitas sit liberalitas nimia, necesse est ut éadem prodigalitas liberalitas quædam esse concedatur. Sic autem potiús divisio videtur instituenda. Affectus ille qui in pecuniis & facultatibus occupatur atque exercetur, aut liberalitas est aut illiberalitas. Etenim qui divitias possident, aut ita affecti sunt ut divitias suas libenter cum aliis communicent, aut illibẽter: quorum illi, liberales; hi, illiberales & avari nominãtur. Jam veró liberalitas, aut est moderata & laudabilis, aut immoderata ac vituperanda: quarum illa, vocabulo generis *liberalitas* propter excellentiam nominatur: hæc veró, nomine speciali *prodigalitas* seu effusio dicitur.

Porró

Porró an exemplum argumentationis á contradicẽtibus quod é prima Tusculana affert Ramus, consentaneum atque accommodatum videri debeat, age ex illius loci analysi æstimemus: in qua quidem analysi non enucleaté ipsas etiam illustrationes persequar, sed solas argumentationes attingam. Initio dialogi, quæstionem proponit Atticus, *mortem sibi malum videri*. Hãc sententiam quó commodiús refutare possit Marcus, deducit inde per argumentationẽ á conjugatis: *Mortuos igitur esse miseros*. quod quũ Atticus cõcessisset: tum Marcus ut istud falsum esse ostẽdat, aggreditur demõstrare, *mortuos omnino non esse*. quod quidẽ demonstrat á necessario adjuncto, nempe loco: *Mortui nusquam sunt: ergo mortui omnino non sunt*. Antecedẽs probat argumento divisionis: *Si mortui alicubi sunt, sunt aut apud inferos, aut alibi: Sed nec apud inferos sunt*: (quas miserias Atticus ut Epicurëus fabulosas esse concedit) *nec etiam alibi sunt. Nusquam igitur sunt*. Hoc quum cõcessisset Atticus; mox inde infert Marcus, *mortuos igitur ne quidem esse*. Quod quũ & ipsum Atticus concessisset: & tamen propositũ suum, videlicet *mortuos miseros esse*, pertinaciter & quidem per inversionem seu κατὰ τὸ βίαιον (ut ipsi videbatur) iteraret: tum Marcus eum propter contradictionis implicationem, tanquam magnæ incogitantiæ atque etiam hebetudinis argumentum, gravissimé reprehendit: eumq; pugnantia loqui ostendit. Hoc autem ostendit argumentando primúm ab adjuncto, ad hunc modum: 17.

Mortui sunt miseri: ergo mortui sunt.

Antecedens affirmavit Atticus: fateatur igitur necesse est & consequens: ac proinde fateatur, se loqui pugnãtia, quum dicit, *mortuos non esse*. Deinde eandem contradictionis implicationem demonstrat á subjecto:

Mortui non sunt: ergo ne miseri quidem sunt.

Antecedens concessit Atticus: concedat igitur necesse est & consequens: ac proinde rursum fateatur, se loqui pugnantia, quum dicit, *mortuos miseros esse*. Postea in-

terjecto inepto effugio Attici per omiſſionem vinculi (verbi ſcilicet ſubſtantivi) in enuncianda ſententia hac, *Mortui ſunt miſeri:* Atticus tandem concedit,*mortuos miſeros non eſſe.*ſed quonam quæſo argumento motus,
„ hoc concedit?Audiatur ipſe:*Quoniam extorſiſti*(inquit)
„ *ut faterer,qui omnino non eſſent, eos ne miſeros quidē*
„ *eſſe poſſe.* at unde hoc argumentum eſt? num á contradicentibus? Minimé, quia contradicentium alterū tantúm,non utrumque,negat: at hîc negat utrumq;, nempe,*Non eſſe*,& *Non eſſe miſerum.* unde igitur?Mihi quidem á ſubjecto(ſicut in animadverſionibus expoſui) videtur argumentum hoc ſumtum eſſe: id quod tu quoq; concedis. Sed nihilominus (quaſi Atticum illum pertinacem imitatus)urges propoſitum. An idcirco(inquis)
„ Marcus contradictionis argumento illam Attico con-
„ feſſionem non extorſit? Non, inquam. Si enim extorſit argumēto ſubjecti:certé non extorſit argumento contradictionis. at argumento ſubjecti extorſiſſe, ex ipſius verbis Attici manifeſté liquet. Sed ne excipere poſſis, Attici judicio ſtandum hîc non eſſe, quippe cujus hebetudo atque imperitia Dialectices hoc ipſo in loco á Marco reprehendatur & convincatur: age rem ipſam paulo accuratiús ſpectemus. Quæro igitur ex te; poſteaquam Atticus contradictionis á Marco convictus eſſet: ut qui utrumque fateri cogeretur, & *mortuos eſſe*, & tamen *mortuos non eſſe*: an vi hujus contradictionis permotū fuiſſe Atticum putas, ut tandem cōcederet, mortuos nō eſſe miſeros?tu quidem ſic poſt Ramum ſentis: ſed cur
„ tandem?Quia aut nullo conſilio(inquis)contradictio i-
„ ſta explicatur, aut idcirco ut iſtam confeſſionem Mar-
„ cus eliceret. Eſto, hoc Marci conſilium fuiſſe: quia ſciebat,Atticum ut Epicureūm facilé cōceſſurum, mortuos non eſſe.at num propterea vi propoſitę contradictionis, confeſſio iſta ab Attico fuit elicita? Minimé veró. Nam ex illa contradictione plus elici non poteſt,quám ſi alterum iſtorum enunciatorum verum ſit, tum alterū eſſe falſum. utrum autem verum ſit, id aliis argumentis æſtiman-

ſtimandum eſt. Non igitur Atticus vi iſtius contradictionis perſuaſus fuit ut opinaretur, mortuos non eſſe, ac proinde neq; miſeros eſſe: Sed iſtam opinionem, quód mortui non ſint, tanquam Epicurëus pro vera habuit. Quum igitur opinio iſta ex propoſita contradictione non concludatur: fatendum tibi erit, nec illam confeſſionem Attici quæ ex iſta opinione dependet, proximeq; concluditur, ex propoſita contradictione concludi. Ex his quę expoſui, intelligi poteſt: fallaciam accidentis vel non cauſſæ, in hujus exempli ad contradicentium locũ applicatione commiſſam eſſe. Etenim contradictio iſta per ſe in cauſſa non fuit, ut Atticus mortuos non eſſe miſeros fateretur: ſed per accidens: quoniam ſcilicet Atticus eam contradictionis partem unde confeſſio iſta dependet, aliam ob cauſſam pro vera habuit.

Quod de conſecutione exempli illius é Martiali in capite de privantibus, dixi, veré dixi: Veruntamen quod iis verbis innuere volui, & quod tu inde collegiſti, exemplum illud á loco privantium propterea abjudicandum & tollendum eſſe: id veró non prorſus rectéjudicavi. Neque etiam illud ſatis Logicé á me pronunciatum fuit, conſecutionem pendére á natura proprii. quaſi veró vel *proprium*, certum argumenti genus notaret: vel cõſecutio á natura ullius argumenti, non autem ex vi diſpoſitionis ſyllogiſticæ pendéret. Verum quidem eſt, conſecutionem hujus enthymematis (*ſolis divitibus opes dantur, non igitur pauperibus*) ex vi particulæ *ſolis* quæ proprii nota eſt, pendére: ſed cur iſtud? niſi propter vim diſpoſitionis ſyllogiſticæ in ſecunda figura, ad hunc modum: 18.

> *Quibuſcunq; nunc opes dantur, ii divites ſunt.* pro quo dicit poëta, *Dantur opes nullis nunc niſi divitibus.*
>
> *At AEmylianus non eſt dives: quia eſt pauper.*
>
> *Quare AEmyliano non dabuntur opes.*

Ex qua analyſi apparet, exemplum hoc aliquo modo

ad locum privantium pertinere, videlicet ratione prosyllogismi quo confirmatur assumtio: veruntamen ratione syllogismi principalis, ad locum subjecti pertinere videtur. Accidit enim divitibus, ut eis opes dentur. Sed quæris ex me, quid sit, cur argumentum á proprio esse putem? Et quoniam ejus dicti caussam ex verbis animadversionum mearũ tua sponte colligis, nempe propter particulam *solus* (quam quidem poëta expressé non ponit: veruntamen æquipollentibus verbis utitur)
„ tu contrá disputas, Particulam (*solus*) si per se spectatur,
„ propriam semper qualitatem non designare. id quod ego perlibenter tibi concedo, atque etiam jampridem ultró profiteór. Neque veró ego quum *proprii* appellatione hîc usus sum, propriam qualitatem intellexi: neque hoc ex verbis meis potest colligi. Sed ampliús
„ quæris: An si particula *solus* propriam semper qualita-
„ tem designet, idcirco á Martiali in illo disticho, adjun-
„ cti argumentum adhibeatur? At ego in animadversionibus non dixi, argumentum adjuncti hîc adhiberi: itaque hoc falsó mihi attribuis. Sed pergis attexere ab-
„ surdum consequens: Si dixeris (inquis) dicas etiam ne-
„ cesse est, argumẽtum illud (SOLOS DIVITES) esse vel
„ pauperibus vel opibus adjunctum. At istud nec dixi, nec dicam: hoc autem dico, te perperã hîc particulam (SOLUS) cum argumento propositi enthymematis, tanquã illius partem conjungere. Quód si particula SOLUS, pars argumenti esset: oporteret eam repeti in assumtione: id quod non fit. Ecce enim:

Solis divitibus dantur opes:
AEmylianus non est dives:
Ergo non dabuntur AEmyliano opes.

Dices fortasse, syllogismum hũc vitiosum esse: quippe ex assumtione negante in prima figura Aristotelis. Quod etsi prima frõte ita videri alicui possit: tamen accuratiús intuenti apparebit, syllogismum hunc in secunda figura concludi: ita ut pauló ante á me est propositus. nam propositio æquipollet huic, *Quibuscunq; dantur*

opes.

opes, ii divites sunt. Ab exemplo Martialis transis ad exempla duo M. Tullii, alterum é Miloniana de morte Clodii: alterum é prima Catilinaria, de voluntate populi Rom. erga Catilinam. Hîc tu affirmas, vitam & mortem, item tacere & loqui, in privantibus numeranda esse. quis negat? at num propterea consecutio illorum enthymematum (quæ in animadversionibus explicavi, ex natura privantium pendet? Ego veró etsi in istis consectariis privantia inter se opponantur: vim tamen consecutionis non é natura privantium, sed é natura parium principaliter & proximé pendére judico. id quod ex ea explicatione quam in animadversionibus exposui, studioso veritatis liquére potest. Non nego, in istiusmodi exemplis duplicis affectionis rationem spectari posse: sed utra affectio principalis sit, unde scilicet consequens proximé dependeat, inquirendum censeo. Spectemus igitur (si placet) pauló familiariús.

1. *Si posseris vitam Clodio restituere, nolletis:*
Non debetis igitur mortem ejus ulcisci.

Quæro ex te, an consequens ex antecedente ideo sequatur, quód vita & mors privantia sint? an ideo potiús, quód par sit antecedentis & consequentis probabilitas? equidem hoc posterius potiús opinor: tu si secus sentis, facilé me & libenter á te doceri patiar. Sic,

2. *Perspicis voluntatem tacitorum:*
Ergone expectes autoritatem loquentium.

Quæro iterum ex te, an hujus enthymematis consequēs ex antecedente efficiatur, eó quód tacere & loqui privātia sint? an veró potiús, quód par sit utriusque sententiæ ratio: id quod ego potiús opinor.

Sed tempus nunc est, ut locum *comparatorum* quám accuratissimé disquiramus: ad hunc enim te cum singulari quodam desiderio pervenisse, & in hac quæstione vehementer tibi meliore doctrina opus esse video. ita mihi quasi veterno quodam (pace tua dixerim) falsæ doctrinæ Rameæ oppressus videris. Quanquam autem in hoc congressu, unum atque alterum vulnus mihi infli- 19.

ᵭurus es: tamen spero, te tandem manus daturum, & » herbam (ut ajunt) porrecturum. Reprehendis primúm » definitiones meas, quód non explicent comparatorum » naturã atque essentiam. At ego quid par, quid majus, quid minus sit, definitionibus meis explicare mihi non proposui: sed quid sit quod dicitur argumentum vel potiús argumentatio á pari, á majori, á minori. Nihil igitur hæc reprehensio lędit definitiones meas. Secunda re- » prehensio priori non absimilis est: reprehendis enim » quód argumentum Logicæ inventionis, per syllogismi » partem antecedentem & consequentem definierim. Equidem fateor, me argumentum á pari, item á minori appellasse: sed communem loquendi consuetudinem secutus, & μετωνυμικῶς locutus, argumentationem intellexi: sicut etiam argumentationem á majori appella- » vi. At argumentationis definitio in præceptis Inventi- » onis heterogenea atque aliena est. Fateor: & hoc ipse jã tum inter scribendum animadverti: sed existimabam, satis esse, si appellationes illas adeó usitatas, ac in omniũ feré vel mediocriter Dialecticis imbutorũ ore versantes, veris definitionibus (quantum possem) declararem. Nunc autem á te admonitus, definitiones non argumẽtationis á comparatis, sed argumenti, meditabor. Age igitur, novas definitiones proponamus.

Argu-	pari,	est argumentũ	æqué probabili.
mẽtũ	majori,	comparatũ á	probabiliori.
á	minori,	sententia	minús ꝓbabili.

» At dices adhuc definitiones istas non convenire compa- » ratis omnibus: non enim conveniunt iis quę ad declara- » tionem rei adhibentur, sed iis solummodo quæ syllogi- » sticæ demonstrationi inserviunt. Hæc enim tertia tua reprehensio est, de pristinis quidem illis definitionibus meis enunciata: Veruntamen ad has novas æqué pertinens. Ego veró nego, definitiones has comparatis, quatenus ad declarandum adhibentur, convenire debere. sunt enim definitiones *argumenti* á comparatis, non

autem

autem *declaramenti* per comparata. Cujus quidē definitiones, ex definitionibus á Ramo traditis, facilé assumi possunt, ad hunc modum:

Declaramētum per	par,	est declaramētum per id cujus quantitas	éadem seu æqualis est.
	majus,		excedit.
	minus,		exceditur.

Sed pergis, & quartam reprehensionem adjungis; quam tantummodo attinere vis ad definitionem *majoris* & *minoris*: quam utramq; in alia etiam argumenta cadere dicis. hoc autem, exemplo speciali probas, his verbis: Nam si quis hoc modo argumentetur (inquis) Catilina est doctus, ideoque bonus: hîc enthymematis antecedens, est magis probabile, quám cōsequens: nulla tamen á majore argumentatio est. Ex hac reprehensione agnosco, definitiones illas meas imperfectas esse: singulasque sic explendas fuisse:

Argumētatio á	pari,	est quū	In antecedente & cōsequente enthymematis sive affirmativé sive negativé cōcepto, par est probabilitas, & antecedens verum est.
	majori,		Enthymematis antecedens affirmativé conceptū magis pbabile est quám cōsequēs itidem affirmativé conceptū, & tamen verū non est.
	minori,		Enthymematis antecedens affirmativé conceptum, minús est probabile quám consequens itidem affirmativé conceptum, & tamen verum est.

Verùm enimveró ut pristinæ meæ comparatorum definitiones imperfectæ fuerunt:ita præsens tua demõstratio imperfecta est:imó ipsa etiam quæstio. Etenim quum duarum definitionum reprehensionem proposuisses:priorem tantúm reprehensionem confirmas. Et pari jure definitionem paris vel potiús argumẽtationis á pari reprehendere potuisses. Nam si quis ita argumentetur: Catilina sentit: ergo Catilina est animal: hic enthymematis antecedens videtur æqué esse probabile atque consequens: & tamen nulla hic á pari videtur esse argumentatio. Sed satis ad hanc quoq; reprehensionem responsum puto. Quanquam prævcavendas similes novarum definitionum reprehensiones video. Similiter enim fortasse dices: In enthymemate illo de Catilina, argumentum sumtum est á sentẽtia probabiliori: & tamen non est á majori. At non est clausis oculis vel auribus prætereunda vox hæc *(comparatum)* quam in definitione posui. Non enim satis est, ut sit argumentum á majori, sententiam argumenti esse probabiliorẽ quám est sententia quæstionis: sed requiritur præterea ut vel utraq; vel minimúm altera argumenti pars, cum utrâque vel altera quæstionis parte collata, comparati quanti rationem habeat. Id quod in proposito enthymemate non fit. Doctrina enim cum virtute ut quantum non comparatur. Etsi autem enthymema illud de Catilina, definitioni meæ argumentationis á majori rectẽ opposueris: tamen observare etiam debuisti axiomata illa seu argumentandi á comparatis regulas quas ex Aristotele protuli. Iis namq; defectus definitionum mearum cõpensatur. Quibus observatis (quas certé ut veras, atq; etiam utiles, meritó observandas censeo) intelligetur, enthymema illud de Catilina ideo non procedere á majori: quia affirmativum est: quũ axiomata illa doceãt, á majori tantúm negando argumentationem procedere. sicut á minori, tantúm affirmãdo: á pari autem, & affirmando & negando. Unde etiam judicari potest, quid de altero enthymemate, quod tu de satrapa mirificé disputas,

putas,dicendum sit: *Satrapes non potest sufferre tantos sumtus,tu igitur non potes.* An probabilius est(inquis) « minús in satrapa ad perferēdos sumtus inesse facultatis, « quám in homine mediocris fortunæ? tum respondes: « Equidē hujus enthymematis & cęterorum similiū quib. tu argumentū á majore contineri vis, antecedēs minús probabile est. Concedo, si consideretur quatenus cōceptum est negativé: at ex regulis argumentandi á majori percipere potuisti, antecedens in hujusmodi enthymematis,quū ratio argumenti investigatur,considerari affirmativé,sicut & consequēs. Quam meā responsionem tu prævidisti,ac proinde præcavere voluisti. ais enim:At « dices,probabilius esse, satrapā posse sufferre tantos sum- « tus, quám alium quēpiam inferioris conditionis homi- « nē.Ego veró illud dico. tu veró quid respondes?Cōcedo, inquis. Bene facis.Et ego ex illo concesso infero, enthymema hoc, (Satrapes non potest:ergo multó minús tenuis)esse á majori:quia á probabiliori:sed negato. Verúm tu rursúm,quasi talem responsionē olfecisses, mox addis, Consecutionis rationem jam plané mutatam es- « se. Satrapes potest sufferre tantos sumtus.quid hinc cō- « sequetur?inquis.an illud? Tu igitur potes.tum respōdes: « At (inquam) tibi argumentatio á majore semper negā- « do conficitur.tum quæris rursúm,An ergo illud?Tu igi- « tur non potes. Respondes rursúm: At ejusmodi á majo- « re consecutio ridicula fuerit, & allatis abs te majorum « axiomatis minimé consentanea. Hoc veró illud est, « quod si tu á principio hujus disceptationis de consequētia propositi enthymematis attēdisses:nihil horum quæ contra sententiam meam hîc disputas, afferre potuisses. Quippe docent illa axiomata,á majore non nisi negando argumentationem procedere:á negatione scilicet ejus quod probabilius est ad negationem ejus quod minús est probabile. Concludis, te in comparatorum a- « nimadversionibus assentiri mihi non posse: præsertim « quum de quolibet feré enthymemate, sive comparato « sive simplici argumēto concludatur, id dici possit,ante- «

» cedens eſſe vel pari cum conſequente probabilitate vel » impari. At ego ſpero, te in iis quę modó diſputavi, mihi aſſenſurum. Nec veró ſi jure mihi non aſſentiebaris in argumentorum á pari, á majori, á minori definitionibus: idcirco etiam juſta tibi cauſſa fuit á me diſſentiendi in applicationibus exemplorum: nituntur enim illæ axiomatis Ariſtoteléis; quæ vera eſſe haud (opinor) negabis. Et ut applicationes illas rectas atque legitimas eſſe, plané poſſis perſpicere: duas has loquendi formas, tãquam ſymbola ſeu notas diligenter obſervabis: videlicet, MULTO MAGIS & MULTO MINÚS. Quoties enim in conſequente dicitur, vel ſaltem intelligitur hæc nota, *multo magis*; certum eſt argumentum eſſe á minori, h.e. minús probabili. Quum veró dicitur, *Ergo multo minús*, tum dubitari non poteſt quin argumentum á majori ſit, hoc eſt, probabiliori. Quare enthymema iſtud, (*Satrapes non poteſt tantos ſumtus ferre: Ergo multo minus tu potes*) quin á majori ſit, negari certé non poteſt.

20. Porró exemplum illud diſſimilitudinis ex prima ecloga, meritó á me tanquam perperam á Ramo explicatum, reprehenſum eſſe: planum faciam ex illius loci analyſi: Quęſtio eſt, *an Roma ſimilis ſit Mantuæ?* Fatetur Tityrus, ſe id putaſſe: ſed falſó. Propoſitio igitur illius loci eſt & ad quæſtionem propoſitam reſponſio: *Roma Mantuæ ſimilis non eſt.* Tum ſequitur illuſtratio: *Sic canibus catulos*, &c. Quam autem ſententiam his verbis Tityrus illuſtrare vult? Certé confeſſionem illam ſui erroris, id eſt, hanc ſententiam: *Roma Mantuæ ſimilis eſt.* Hoc manifeſté evincit cohærentia ſententiarum: Cohæret enim ſententia illuſtrationis cum ſententia confeſſionis per conjunctionem (non enim certé adverbiũ) per conjunctionem inquam ſimilitudinis *Sic*. quæ licet regulariter ſymbolum ſit apodoſeos: tamen hîc per anaſtrophen protaſi ſimilitudinis inſervit: ſicut etiam in illis Virgilii verſiculis, *Sic Vos non Vobis.* Illuſtratur ergo iis verbis (*Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos*

hædos Nôram) nõ ut tu dicis, dissimilitudo contracta, id est sententia hæc, *Mantua non est Romæ similis*, vel potiús, *Roma* (de hac enim quæstio est) *non est similis Mantuæ*: sed sententia isti contraria quam pastor ille falsó se concepisse fatetur, nẽpe, *Roma est similis Mantuæ*. ait enim, Sic nôram canibus catulos similes esse: scilicet, sicut putavi, Romam similem esse Mantuæ. Itaque verba illa violenter in contrarium sensum detorquentur, & á quæstione propositionis illustrandæ aberratur, quum ita exponuntur ut tu cum Ramo exponis; quasi pastor ille dixisset: *Ut nec canibus catuli, nec matribus hædi: sic nec Mantua Romæ similis est.* Etenim pastor affirmat, inquiens: Sic nôram canibus catulos esse similes: at expositio negat, Canibus non sunt catuli similes. Quare immerito [redacted] Columellã in suis prælectionibus reprehẽdit: ut qui collationem hanc aliter assumserit: Nihil enim dubium est (ait referente Ramo Columella) quin ipsa natura sobolem matri similem esse voluerit: unde etiam pastor ille in Bucolicis ait, *sic canibus catulos similes, sic matribus hædos Nôram.* In quo tamẽ (ait [redacted] magis suum quám Virgilii sensum Columella sequitur. Quî sic? Pastor enim (inquit) hîc errorem suum significat, qui magnis parva comparet; naturæ similitudinem in sobole non indicat. Equidem miror, P. Ramum acri aliás judicio & expolito præditum, tam longé hîc á scopo aberrasse. Quid enim? pastor Tityrus naturæ similitudinem in sobole hîc non indicat? quid ergo sibi volunt ista ejus verba, *Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos Nôram?* quid nî enim nosset probéque exploratam haberet naturam pecudũ, pastor? At fatetur errorem, ut qui magnis parva comparet. Ego veró nego, pastorem istis verbis (*sic parvis cõponere magna solebam*) de suo errore confiteri: sed illis in principio, *Putavi stultus ego.* Quasi dicat: sicut noram, canibus catulos esse similes: sic putavi, Romam similem esse Mantuæ: sed hoc posteriús putavi stulté: nam falsum est: ut postea declarat antithesi: *Verúm hæc tan-*

tum alias inter caput extulit urbes,&c. Quorſum ergo addit? *Sic parvis componere magna ſolebam*. nempe ut oſtendat ſimplicitatem ſuam in comparandis rebus politicis ſibi ignotis, cum rebus paſtoralib. ſibi notis: cujus ſimplicitatis occaſione in errorem illum inductus fuit; ita nimirum comparationem inſtituens: ſicut canibus catuli, & capris hœdi ſimiles ſunt: ſic etiam Romæ ſimilis eſt Mantua.

21. Diviſionem meam generis ſubalterni, & ſpeciei item ſubalternæ (illius nimirũ, in intermedium & infimũ: hujus veró, in intermediam & ſummam) verã quidem eſſe fateris: ſed minimé neceſſariam judicas. At ſi tibi diviſio iſta minimé neceſſaria videtur: pátere tamen quæſo, ut ſuo authori jucunda ſit: qui illam tanquã chariſſimam filiolam ſcilicet oſculatur. Siq; iſta diviſio neceſſaria ædificii logici pars non ſit: attamen velut vermiculatũ emblema habeatur. Verùm enimveró utilitatem non contemnendã diviſionis prioris videre mihi videor, ad conſtituendũ ſcilicet ordinem methodicum rerum in diſciplinis explicandarũ. Quum enim ordo ille á genere generaliſſimo per genera intermedia ad infimũ uſq; genus progrediatur ac deſcendat: iſta autem generis diviſio de tribus his generum generibus (ut de re Logica logicé loquar) admoneat: quis negaverit, diviſionem hanc ad ordinem illum conſtituendũ aliquid lucis afferre? Quin etiam diviſio altera, ſpeciei nimirũ, non prorſus inutilis videtur. Videtur enim adjumẽto eſſe poſſe ad definitiones generum infimorum accuraté conſtituendas. Illorũ enim definitiones ut accuraté poſſint cõſtitui: hoc eſt ut genus proximũ cum ſpecifica differẽtia poſſit inveniri: videtur tutiſſima via eſſe, ſi primó á genere infimo per genera intermedia quę ſeſe offerent, aſcẽdatur ad genus ſummum: quo quidem invẽto, dividendo rurſus deſcendendum eſt ordine, donec genus proximum cum differentia ſpecifica generis ad definiendum propoſiti, fuerit repertum. Quam definitionis inveniendæ rationẽ ego in animadverſionibus, duobus exemplis illuſtravi.

Ovi-

Ovidianum de animalium divisione exemplum, minús idoneum mihi visum fuisse affirmas: quia in eo non generis in species divisio, sed distributio á subjectis contineatur. Ubi veró ego negavi, in eo exemplo divisioné generis in species contineri? Num ubi dixi, divisionem hanc sumtam esse é subjectis? At ex hac affirmatione negatio illa minimé efficitur. Potest enim esse divisio generis in species: sive species é subjectis, sive ex adjunctis, sive ex caussis, sive ex effectis sumtæ atque constitutæ sint. Quare hîc inconsideraté explicationem pro reprehensione arripuisti: nec est ut putes, tibi hac de re secus ac mihi videri. hoc uno excepto, quód dicis, unamquamque speciem in illa divisione enumeratam, subjecto loco *illustrari*. Non enim ibi est propositum poëtæ, animal primúm in species dividere, deinde species illas illustrare: sed rectá species animalis suis locis distinguere. Interim divisionem quandam animalis hîc contineri non negó. Quod autem de proposito poëtæ dixi, ex ipsius verbis manifesté liquet. ait enim: 22.

Neu regio foret ulla suis animalibus orba,
Astra tenent cæleste solum, &c.

Appendicem quam præceptioni distributionis subjeci, suis ipsam viribus plané concidere dicis. Quî sic? inquam. Nam ais, (inquis) te de vocabulorum ambiguorum significationibus præcipere. At distinguere ambiguam vocem in sua significata, non est artis dialecticæ, quæ disserendi præcepta tradit: sed hominis potiús Lexicon aliquod meditantis. Hujus tuæ ratiocinationis vitia quó apertiús possim ostendere, syllogismű é tuis verbis secundum artis ordinem formabo. 23.

Distinguere ambiguam vocem, non est Dialecticæ docentis.
At Piscator præcipit in Dialectica docente de vocabulorum ambiguorum significationibus: hoc enim ipse ait.

Quid jam his positis concludetur? Nihil certé: quum syllogismus constet ex quatuor terminis, propterea quód

medium eſt (ut Ariſtoteles loquitur) διττὸν, id eſt duplex ſeu geminum. Aliud enim certé eſt, diſtinguere ambiguam vocem; & aliud, Præcipere de ambiguæ vocis diſtinctione. Sicut aliud eſt, dividere rem quampiam in ſpecies, aut partiri in membra: aliud veró, de diviſione generis & partitione integri præcipere. Quorum illud, Dialecticę utẽtis, vel potiús cujuſvis diſciplinæ arte Dialectica utentis: hoc veró, Dialecticæ docentis, hoc eſt ejus diſciplinæ quæ præcepta diſſerendi tradit, officium ac munus eſt. Hoc igitur primum ratiocinationis tuæ vitium eſt, elechus παρὰ τὸ μὴ ἑπόμενον. Alterum vitium eſt falſitas aſſumtionis: eaque duplex. nam ego in iſta appendice, nec de vocabulorum ambiguorum ſignificationibus pręcipio: neque me præcipere dico. Hoc
» tantúm dico, videri ad bene diſſerendum & hoc perti-
» nere, ut vocabulorum ambiguorum ſignificationes di-
» ligenter diſtinguantur. E quibus verbis plus colligere non poteris, quám ego ipſe deduxi: nimirum utiliter de diſtinctione nominis ambigui, in præceptis diſſerendi præcipi. Etenim quicquid ad bene atque artificioſé diſſerendum pertinet, de illo ſine controverſia inter præcepta bene diſſerendi præcipiendum eſt. Præterea quũ Dialecticæ ſubjecto non ſolúm res, ſed etiam verba cõtineãtur: nã etiam de verbis bene diſſeri poteſt: quis negaverit, pręceptũ de diſtinguendis verbis ambiguis, ad pręcepta Dialecticę pertinere? Dices fortaſſe, verborũ in ſuas ſignificationes diſtinctionẽ ad aliqđ diſtributionis genus ex iis quæ á P. Ramo tradita ſunt, revocari poſſe. Et certé videtur revocari poſſe ad diſtinctionem generis in ſpecies. non, quód vocabuli ambigui ſignificationes (quarum ſcilicet una ſemper propria eſt, reliquæ modificatæ) revera ſpecies ſignificent ejus rei quæ vocabulo ambiguo proprié ſignificatur: ſed quód quaſi ſpecies ſeu modi ſignificationis dici poſſe videantur. Utinam veró qui hodie tot in variis linguis Lexica (laudabili quidem illi ſtudio) meditantur ac divulgant; Logicam hanc diſtinguendi, accuratiús adhiberent: Non cerneretur in

ple-

plerisque Lexicis tanta significationum & ταυτολογία & confusio.

Pervenimus feré ad finem animadversionum in librum primum: restāt enim duę tantúm quæstiones quę ad doctrinam Inventionis, & quidem ambæ ad præceptionē de testimonio, postremo scilicet argumēti genere, pertinent. Earum quæstionum altera est de testimonii divisione, altera de vi probationis. Testimoniū igitur divisi quadrifariā: primúm á forma, in id quod cōtinetur verbis, & in id quod factis: deinde ab efficiente, in divinum & humanum: tum á subjectis, in promissionem & confessionem: postremó ab adjuncto quodam, in id quod cum jurejurando conjunctum est, & quod sine jurejurando est. Contra has divisiones tu disputaturus, easque (si possis) é civitate Logica tanquam legum violatrices exterminaturus, unica Rami excepta, sic proponis. Istas ego divisiones (inquis) nescio quid magnæ cōfusionis complexas esse disputo. Commodé profectó tibi excidit verbū illud, NESCIO QUID. nam quod nusquam est, id ne sciri quidem potest. Ubi enim quæso est mirifica ista quam fingis, confusio? In eo scilicet, ꝙ divisio testimonii ab efficiente, reliquas omnes cōprehendit: itemque aliæ alias. At unde hanc (quam tu hîc temeré fingis) mutuam comprehensionem probas? Nēpe ex eo, quód quælibet testimonia sive verbis aut factis contineantur, sive promissiones aut confessiones fuerint, sive cum jurejurando aut sine jurejurando extiterint, quælibet (inquis) illa vel divina testimonia sunt vel humana. Sed qualis (obsecro) hæc probatio est? Dividatur primúm homo ab efficiente (quoniam hoc tibi methodus videtur postulare) in creatum & generatum: deinde á subjectis, id est objectis, in philosophos & politicos & opifices & rusticos: tum ab adjunctis, in bonos & malos, ingeniosos & hebetes, doctos & indoctos, &c. Quæro nunc ex te: Num quia quilibet homines, sive philosophi fuerint aut politici aut opifices aut rustici; sive boni aut mali, ingeniosi aut hebetes, docti aut indo-

cti: quivis inquam illi, quia aut creati sunt aut generati: num idcirco duas posteriores divisiones in prima comprehensas esse dicis? At quomodo comprehenderentur, quum sint diversi generis, sumtæ inquam é diversis rerũ generibus? num igitur heterogenea á se mutuo possunt comprehendi? Pari ratione divisiones caussæ efficientis á P. Ramo traditas, reprehendito. Omnis caussa efficiẽs, sive sola efficiat, sive cum aliis: sive per se efficiat, sive per accidens: omnis inquam caussa efficiens, aut procreat aut tuetur: Ergo posteriores duæ divisiones in prima illa continentur. Ac proinde sicut in præceptione de testimonio divisionem in divinum & humanum á Ramo traditam sufficere, reliquas veró á me adjectas redundare atque expungi debere censes: sic etiam judicato, sufficere primam distinctionem efficientis á P. Ramo traditam: reliquas veró duas tanquam supervacuas & in prima comprehensas expungito. Concludis, quadruplici » illa mea testimoniorum distributione, logicæ disciplinę » leges negligi: immó & methodi inversionem isthuc ac- » cessisse. Non satis consideraté hîc locutus es: sic enim methodũ cum logicæ disciplinæ legibus copulas, quasi ipsa in illarum numero non comprehendatur. Sed rem videamus. Ais sine exceptione, leges disciplinæ logicæ distributione illa negligi. quæ autem leges? utiq; leges dividendi. at quæ sunt illæ leges? Equidem duas generales dividēdi leges á communi nostro præceptore traditas memini: alteram, ut partes cum toto consentiant: alteram, ut partes inter se dissentiant. Peto jam á te, ut duas has leges in quadruplici ista divisione neglectas esse ostendas. Equidem neutram in ulla earum violatam video. Aut intelligísne leges illas de artis materia? In qua igitur illarum divisionum, violata est lex *κατὰ παντός*? An non *omne* testimonium, aut divinum aut humanum est? an non *omne* testimonium, aut verbis constat aut factis? an non *omne* testimoniũ, aut promissio aut confessio est? nonne denique *omne* testimonium, aut jusjurandum adjunctum habet, aut illius expers est? Non est

igitur

igitur violata lex κατὰ παντός. Sed forté violata eſt lex καθ' αὑτό. quid igitur? num rei cauſſa efficiens, num forma, num objecta, num denique adjuncta, á natura rei aliena ſunt, & illi heterogenea? Immó hæc omnia in argumentis conſentaneis á præceptore noſtro numerantur. Et veré. Quare nec lex καθ' αὑτὸ contemta eſt. Reſtat lex tertia, καθόλου πρώτον: num hanc violatam eſſe fatebimur? Sané veró: ſed non in omnibus: immó in una tantúm. Non enim in diviſione ab objectis: nam certé quicquid aut confeſſio eſt aut promiſſio, id etiam teſtimonium eſt. Non etiam in diviſione ab adjuncto: nam quicquid aut jurejurando caret (privatio enim hîc, non ſimplex negatio intelligenda eſt) id utique teſtimonium eſt: eſt enim aut confeſſio aut promiſſio. Etenim jurisjurandi nullus alius eſt uſus quám ut eo vel promiſſio vel confeſſio aliqua, ac proinde aliquod teſtimonium, confirmetur. Nuſquam ergo jusjurandum extra teſtimonium reperitur. Jam veró diviſio á forma, num & ipſa reciproca videtur? Mihi quidem videtur. nam ut omne teſtimonium aut verbis continetur aut factis: ita quicquid vel Deus divinique ſpiritus, vel homines faciunt, aut loquuntur, id teſtimonii alicujus, nempe vel confeſſionis vel promiſſionis (ſub qua cōminationem comprehendo) continere vim videtur. Reſtat diviſio á cauſſa efficiente: num & hæc reciproca eſt? Haud videtur. nam omne quidem teſtimonium, aut divinum aut humanum eſt: at non quicquid vel divinum vel humanum eſt, continuó teſtimonium eſt. nam hæc diviſio in alia quoque argumenta cadit. verbi gratiâ, eſt cauſſa efficiens divina, quæ vulgó dicitur prima: & eſt etiam humana, item naturalis: quæ dicuntur cauſſæ ſecundæ. Sic eſt effectum divinum, ut creatio mundi, redemtio electorum, ſanctificatio eorundem: eſt etiam effectum humanum, ut ſunt omnia opera artificum: ut ædificia, arma, veſtes, &c. Ex his perſpicitur, tantum abeſſe ut tres meæ diviſiones, tanquam ſupervacaneæ & illegitimæ expungi; unica autem Rami, tanquam ſola

legitima, cæterasque omnes comprehendens, retineri
debeat: ut potiús contrá divisiones meæ tanquam per
omnia legitime, divisioni Rameæ vel potiús Ciceronia-
næ, tanquam in legem καθόλου πρῶτον peccanti, meritó
sint præferendæ. Porró quod de methodi inversione
admones, grato animo accipio: idque deinceps emen-
dabo.

Jam veró expedita quæstione divisionis: restat ut etiã
25. dicamus de vi probationis. De testimonio, Ramus absq;
» ulla exceptione pronunciat: quum exquisita rerum veri-
» tas subtiliús exquiritur, illud perexiguam vim probatio-
nis habere. Hoc pronunciatum ego reprehendi falsita-
tis: quia testimonium veré divinum vim probationis
habeat maximam. Quid tu contrá? quomodo verita-
tem pronunciati Raméi tueris? Concedis mihi enthy-
mematis mei antecedens: quo concesso, quomodo con-
sequens (id est veritatem reprehensionis meæ) negare
» possis, equidem non video. Sed quæris: Quænam ratio
» sit, unde divinum testimonium tantam ad probandum
vim habeat. Quasi veró si aliqua ratio tantæ authori-
tatis indicari possit: idcirco authoritas ipsa ac vis pro-
bationis illa, nulla sit? ac non potiús cõtrá, cujus rei vera
ratio afferri potest, eam ipsam quoque esse oporteat.
Quare hęc de ratione authoritatis atque ponderis in te-
stimonio divino quæstio, merũ effugiũ est: ad pronunci-
atũ quidem Ramëum á mea reprehensione vindicandũ
inefficax: ad veritatem autem animadversionis meæ
stabiliendum efficacissimum.

Hactenus respondi ad ea quæ tibi in animadversio-
nibus meis in librum primum non satisfaciunt: sequi-
tur nunc ut quænam in animadversionibus libri secun-
» di desideres, videamus. Utrúm axioma, affirmatum an
» affirmans dici debeat, levem esse controversiam dicis:
» nec rationem quam exposui, cur affirmans appellare
malim, refutas. Itaque nullam mihi occasionem plura
dicendi præbes.
26. Ais, majorem esse controversiam de veri axiomatis
defini-

definitione. Videam⁹ igitur quãto tu illã studio disceptes. De veritate (inquis) definitionis Rameæ cõfiteris: sed tuã « accuratiorẽ esse judicas. tum addis, Mihi tua nõ satis vi- « detur instructa commodé. Quî sic? inquam. Quia in hoc « enunciato, (inquis) *Quanquã Piso est doctus, tamen im-* « *probus est*, dissentanea affirmando componuntur: atta- « men verũ axioma est. At, inquã, hęc tua ἔνςασις cõmittit « fallaciam διαιρέσεως. Non. n. verum enunciatũ hac sola differentia compositionis consentaneorum, itemq; disjũctionis dissentaneorũ definivi: sed adjunxi differentiã alteram, videlicet compositionis consequentiũ & disjũctionis inconsequentium. Quam quidem differentiam propter enũciata cõposita addendã judicavi; quippe quũ cõpositi enũciati partes, sint enunciata simplicia, in quibus inter sese cõparatis consequentia & inconsequentia spectatur: sicut in partibus enunciati simplicis quæ sunt notiones simplices seu νοήματα incomplexa, quum inter sese comparantur, consensio dissensioque consideratur. Dices fortasse, quod de consequentia & inconsequentia compositorum enunciatorum affirmo, id non esse κατὰ παντός: quum videatur proprium esse enunciati connexi: ut, *Si jam dies est, utiq; jam non est nox.* At, inquam, in disjuncti quoque enunciati partibus consequentia vel incõnsequentia est: id quod inde perspicitur, ꝙ enũciata disjũcta in cõnexa possunt transmutari: cuj⁹ trãnsmutationis caussam exposui cap. 16. in doctrina de syllogismo disjũcto. Sed quid videtur de enũciato copulato? num & illius partes consequentiam aut inconsequentiam habent? Sané, si quodvis enunciatum simplex ex quovis enunciato simplici aut sequitur aut non sequitur: dubium esse non potest, quin copulati enunciati partes, alia ex alia vel sequatur vel non sequatur. Quæ quidem ratio quum omnium compositorum enunciatorum communis sit: de singulis seorsim dicere nihil attinebat. Veruntamen ut inductionem institutam absolvamus, dicamus etiam de enunciato discreto: hoc enim ẽ compositis enunciatis solum restat,

Diſcretum igitur enunciatum videtur æquipollere copulato, quantum quidem ad partium ipſius, id eſt, ſimplicium enunciatorum in eo contentorum affirmationẽ negationémve attinet. verbi cauſſa, *Quanquam Piſo est doctus, tamen improbus eſt*: æquipollet huic, *Piſo & doctus eſt, & improbus*. Quum igitur partium enunciati diſcreti éadem ſit ratio, quæ eſt partium enunciati copulati: hæ autem inter ſeſe cõſequentiam vel inconſequentiam habeant: ut paulo antè demonſtravi: de conſequentia & inconſequentia enunciati diſcreti dubitari ampliús non poteſt. Hiſce ita ad refellendum tuã ἔνςασιν expoſitis, videamus nunc quam vim habeant ad definitionem noſtram á quavis merita reprehenſione vindicandam. Etſi enim tibi meritó allata expoſitione ſatisfactum eſſe debeat: tamen quoniam fieri poteſt ut definitio mea juſtioribus reprehenſionibus obnoxia ſit: age ad laudem veritatis, quám poterimus acerrimé ipſimet in noſtra inquiramus, eaq; ſi falſa ſint, repudiemus: ſin vera, eó libentioribus animis amplectamur. δεῖ γὰρ
1. *Ethic.* 6. (ut graviter Philoſophus pronunciat) ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας, καὶ τὰ ἴδια ἀναιρεῖν, μᾶλλον δὲ καὶ φιλοσόφους ὄντας. Age igitur, definitiones noſtræ in conſpectum proferantur: & an lucem ferre poſſint, diſpiciatur.

Verum enũciatum eſt, in quo conſentanea cõſequentiáve componuntur, aut diſſentanea vel incõſequentia disjungũtur: Falſum cõtrà, in quo diſſentanea vel inconſequentia cõponuntur, aut conſentanea vel conſequentia disjunguntur.

Definitioni veri enunciati tu oppoſuiſti exẽplũ hoc, *Quanquam Piſo doctus eſt, tamen eſt improbus*. hoc enunciatum, verum eſt; (inquis) & tamen in eo diſſentanea componuntur. Sit ita. Sed quid, ſi in eo componerẽtur cõſequẽtia? nõne adhuc ſtaret mea definitio? Quód ſi autem nec conſequentia in eo componãtur: tum certé definitionum mearum veritas ex parte labetur, nondum tamen tota corruet. Quid igitur? Hæc duo enunciata (*Piſo eſt doctus*, *Piſo eſt improbus*) ſuntne conſequentia,

quentia, an inconsequentia? Si consequentia sunt, necesse est ut alterum ex altero sequatur: idque vel utrumvis, vel alterum tantúm. At neutrum ex altero sequitur. Non igitur sunt consequẽtia. At componi possunt in enunciato vero: ut exemplum abs te allatum demonstrat. Ergo verum enunciatum non veré à me definitum fuit esse id in quo consentanea consequentiave componuntur, aut dissentanea vel inconsequẽtia disjunguntur. Etenim nihil horum fit in enunciato illo discreto de Pisone: & tamen illud vivente Pisone verum erat, aut certé verúm esse poterat. Habes igitur, Tempelle, quod est accusatori maximé optandum, confitentem reum: sed tamẽ hoc ita confitentem, ut si velit, propositum suum obtinere per te quidem possit. Posteaquam enim veré dixisses, in isto enunciato (*Quanquam Piso est doctus, tamen improbus est*) dissentanea affirmandó componi: tum tibi ipse objicis, At fortasse dices, ratione vinculi disjungi « ista dissentanea. & subjicis: Sit ita. At non vides Tempel- « le, te nimis inconsideraté id mihi ultró largiri quod ego nunquam petere ausus fuissem: quippe quod sit μέγα λίαν αἴτημα: non secus ac si peterem, mihi credi, si dicerẽ, *Sol non lucet in meridie*. Quod enim quæso vinculum est in isto enunciato? nonne duæ illæ conjunctiones discretivæ, *Quanquam* & *Tamen*? at num duo illa dissentanea, *Doctus* & *Improbus*, in proposito enunciato ratione istius vinculi disjũguntur? Minimé veró: quippe quũ istud vinculum careat adverbio negandi præposito. Veruntamen tu concedis, in proposito enunciato dissentanea disjungi: quo concesso definitio mea non concutitur, sed stabilitur. Sed addis: Dicamus igitur hoc modo, « Non quanquam Piso est doctus, tamen est improbus. & « subjungis: Vides jam, dissentanea utroque modo disjun- « gi: falsum tamen enũciatum est: at ex tua definitione ve- « rum esse debuit. Hîc demum video, præcedentem meã « verborum tuorum reprehensionem non ad mentis tuæ sententiam, sed ad τὸ τοῦ λόγου φαινόμενον pertinere. Etenim tua verba ita comparata sunt, ut non nisi ad præce-

dens enunciatum, de quo est quæstio, referri possint:ai;
" enim, Ratione vinculi dissentanea ISTA disjũgi. at quęnam ISTA? nempe quæ in illo enũciato de Pisone fuerũt proposita. Et ais, DISJUNGI: tanquam de re quæ jam ante oculos conspiciatur. At ex iis verbis quæ modó recitavi, cõjicio: te dicere voluisse, nõ DISJUNGI: sed DISJUNGI POSSE. Afferes enim deinceps exemplum ubi dissentanea ista disjunguntur. Sed tamen, quid est quod ais, *Ratione vinculi*? num igitur & alia in enunciatis vel disjungendi vel conjungendi ratio aut modus est, quám ipsum vinculum? te quidem alium quoq; modũ fingere, verba tua manifesté innuunt. ais enim, in hoc enũciato (Non quanquam Piso est doctus, tamen improbus est) dissentanea utroq; modo disjungi. quibus nam illis? Mihi quidem non nisi unicus ille vinculi modus cognitus est: tu, si & alterum quendam nosti, velim ut eum mihi communices. Hic obiter & illud admonere libet: non videri mihi in discretis enunciatis negantibus adverbiũ negandi præponendũ esse conjunctioni illi quæ attrahit (ἐφελκυστικὰ enim μόρια Græci Grammatici vocant) sed illi quæ attrahitur: id est, non conjunctioni *Quanquam*, vel simili: sed conjũctioni *Tamen*. Nam prior illa loquẽdi ratio, obscura videtur & inepta & inusitata: posterior autem, concinna & perspicua & usitatissima. ne dicã de conjunctionis *Tamen* principatu: de quo preceptor (ut meministi) admonet. Sed definitionis meæ falsitate demonstrata, expectas fortasse, ut pro illa veriorem inveniam ac reponã. Equidem illud per otium conabor: interea autem temporis, in definitione Ramea acquiescã.

27\. Sic igitur definitione enunciati veri discussa, proximum est ut transeamus ad ipsius distributionem. Distributionem igitur veri axiomatis in contingens & necessarium, non immeritó á me reprehendi fateris: quũ non
» sit καθόλου πρῶτον: sed quomodo adhibita correctione
» subtiliús limanda sit, interrogas: & ad opus me cohortaris. At res, inquam, á me jam peracta est: inspice. n. (si placet) animadversiones meas. Quanquam quid vetat,

etiam

etiam hic nonnihil ea de re dici, præsertim quum juxta Platonẽ δὶς καὶ τρὶς λεκτέον τό γε καλῶς ἔχον. Judico igitur, enunciatum dividendum esse sex modis: quos oculis subjicere libet:

1	Affirmatum, Negatum.	4	Homogeneum, Heterogeneum.
2	Verum, Falsum.	5	Reciprocum, Non-reciprocum.
3	Contingens, Necessarium.	6	Simplex, Compositum.

Hæ divisiones omnes observant legẽ κατὰ παντὸς, & legem καθ' αὑτό: sed duæ tantùm primæ observant etiã legem καθόλου πρῶτον, reliquarum veró nulla. Cujus diversitatis caussa hæc est, quód prima divisio á forma, secunda veró á propriis adjunctis sumta est: at reliquæ omnes ab adjunctis communibus. Ac ne mirum tibi videatur, quód dico, primam divisionem sumtam esse á forma: eó quód Ramo postrema divisio á forma sumta videatur, priores veró omnes ab adjunctis: (id quod intelligi potest ex principio capitis quarti, ubi de axiomate simplici precepturus, hujusmodi transitionem facit: Atque hæc de communibus axiomatis affectioni- « bus: species sequuntur. tum divisionem istam subjungit: « Axioma (inquit) est simplex aut compositum) age cur nobis secus videatur, demonstremus. Affirmatio & negatio dãt enunciato suum esse: seu (ut Ramus loquitur) per affirmationẽm & negationem enunciatum est id quod est, & á cęteris omnibus rebus distinguitur. quippe quicunq; aliquid enunciat: is quatenus enunciat, aut affirmat aut negat. Quare affirmatio & negatio, enunciati forma est. Secunda divisio (ut dixi) sumta est á proprio adjuncto. Etenim veritas & falsitas, propriæ enunciati qualitates sunt: quæ ex ipsius forma emergunt,

adeoque ipsius essentiam sequuntur: (non minús quám ridendi facultas vim ratiocinandi sequitur in homine) nec ulli præterea rei competunt. Jam cæteras divisiones omnes, ab adjunctis communibus sumtas esse, age de singulis demonstremus. Tertiæ igitur divisionis differentias, contingentiam scilicet & necessitatem, qualitates communes esse censeo enunciatorum & rerum tũ naturalium, tum humanarum, tum veró earum alterã etiam divinarum. In rebus naturalibus contingere dicitur quod ita évenit, ut etiamsi secus evenisset, nihil tamẽ propterea contra naturam accidisset: ut si (verbi caussâ) quum heri vesperi cælum rubuerit, hodie mané serenũ fit. Necessarió autem fieri in rebus naturalibus dicitur, quod per naturam fieri aliter non potest: quodque si aliter eveniat, contra naturam évenit: ut quum ignis non urebat juvenes illos Israëlitas in fornace ardẽtissima regis Babylonii. Jã in reb⁹ humanis cõtingere dicũtur quę ita ab homine fiunt, ut etiamsi secus fierent, nihil tamen contra naturam humanæ voluntatis (qua nihil mutabilius est) fieret. Necessarió autem fieri in rebus humanis dicuntur, quæ fiunt ab homine ex vi decreti divini. quo modo Judas Iscariotes necessarió prodidit dominum, ut satisfieret scilicet decreto Dei de redimendis per filii sui mortem electis: quæ tamen Judæ actio, sua natura fuit contingens. Etsi enim Christum non prodidisset Judas, nihil tamen contra naturam voluntatis humanæ qua Judas erat præditus, actum vel potiús omissum fuisset. Porró in rebus divinis contingentia locum nullum habet: sed sola ibi necessitas est. Deus enim quicquid est, necessarió est: & quicquid agit facitve, necessarió agit & facit: veruntamen voluntate liberrima. Necessitas enim quæ in Deo est, libertatem voluntatis non tollit: & est summa Dei perfectio: qua fit ut Deus non possit non esse bonus: & ut quicquid agit aut facit, non possit non bene agere aut facere. Ex his quæ exposui, intelligitur: cõtingentiam & necessitatem proprias enunciatorum differentias non esse. Sequitur divisio quarta, qua enunciatum

ciatum dividitur in homogeneum & heterogeneum: differentiis non sané propriis enunciati, sed aliarum rerum communibus. Etenim ὁμογένεια sive συγγένεια, & ἑτερογένεια, in rebus fuit antequã homo esset á Deo conditus, ac proinde antequam quicquam de rebus enunciare posset. Verbi caussa, herbæ, & arbores, & stellæ, & aves, & pisces, & quadrupedes: singula inquam hæc cúm inter se homogenea, tum alia aliis heterogenea fuerũt: antequam primi nostri parentes fuissent á Deo conditi. Jam nec quinta divisio differentias proprias habet. nam reciprocatio ejusque contrarium, non enunciatorum propriæ affectiones sunt: sed communes etiam notionibus simplicibus: ut relatis, ut definitioni, ut distributioni, ut proprio adjuncto, ut denique proprio cuivis. Restat postrema divisio, in simplex & compositum. At hæ differentiæ, extra enunciatum latissimé sese proferunt. Quippe non solúm in Logica inventione argumentum in simplex & comparatum, ac postea in doctrina dispositionis seu judicii, syllogismus in simplicem & compositum dividitur: verúm etiam in Physicis, corpus naturale in simplex & compositum distinguitur: denique differentiæ istæ in pluribus rebus locum habent. Elaboravi quãtum in hoc tempore potui, optime Tempelle: ut non solúm distributionem axiomatis veri, quæ est á Ramo tradita, sed etiam cæteras enunciati divisiones, & adhibita correctione limarem, & addita explicatione illustrarem. Et sané distributionem illam axiomatis veri subtiliús limavi quám erat: nondum tamen quantum satis est. nam etiam sic limata, adhuc peccat in legem καθόλε πρῶτον. Quid ergo restat, quám ut diligenter quantum cuique otii dabitur, distributionum istarum emendationes meditemur?

Porró vindicationem sententiæ Talæi de enunciati discreti contradictione, metuo ne frustrá contra meam reprehensionem susceperis. Quum discretum negatum (inquis) affirmato connexo contradicit: illius antecedens non alio modo conceditur & ponitur, quám 28.

antecedens connexi: Hîc tu primùm pro confeſſo aſſumis id quod in controverſia eſt poſitum: nempe, diſcretum negatum affirmato connexo aliquando contradicere. at quæſtio eſt, an contradicere poſſit, ac proinde an unquam contradicat. Talæus affirmat: Piſcator negat. & ſuæ negationis rationem hanc affert, quia diverſa ſit ratio antecedentis. nam in connexo antecedens non veré affirmatur, ſed tantúm affirmatio ejus fingitur: at in diſcreto antecedens, tanquam veré affirmatum, conceditur. Quod diſcrimen á te negari miror: quum ex communi recté loquentium ſenſu atque intelligentia deſumtum ſit. nam ſi quis ita loquatur, *Si iſte abeſt á culpa, caret etiam ſuſpicione:* is hoc ſermone non fatetur tacité, ac (ut vulgó loquuntur) præſupponit, iſtum de quo ſermo eſt, á culpa abeſſe: ſed tantúm docere vult, quid inde ſequatur, ſi iſte á culpa abeſſe concedatur. At veró qui ſic loquitur, *Quanquam iſte abeſt á culpa, non tamen caret ſuſpicione:* is utique in antecedente fatetur & concedit, iſtum á culpa abeſſe: ſed opponit negationem rei diverſæ: illum ſcilicet non carere ſuſpicione.

29. Non majori ſucceſſu vindicationem ſententiæ Rami de ſignificatione enunciati disjuncti, ſuſcepiſti. Ait Ramus, enunciato disjuncto ſignificari, é disjunctis unicum verum eſſe. Ego contra diſputo, hoc non eſſe κατὰ παντός: quia falſum ſit de enunciato disjuncto in quo diviſio enunciatur de ipſo genere diviſo: id quod manifeſto exemplo demonſtravi. Quid tu? quod tandem in tam clara luce effugium quæris? Propoſito illo exemplo, *Omne animal vel rationale eſt vel irrationale:* ſubjungis, & in hoc disjuncto ſignificari, unicum é disjunctis verum eſſe. Nam ſi illud disjunctionis membrum (inquis) de animali quovis verum fuerit, hoc certé de eodem falſum erit: quum utrumque nulli animali conveniat. Sed quid hoc, inquam, ad rem? Quaſi veró nunc quæſtio ſit, an ſi alterum é disjunctis

junctis verum fuerit, tum alterum necessarió sit falsum: ac non potiús hoc quæratur, an semper disjuncto significetur, é disjunctis unicum verum esse. Id autem non semper significari, satis perspicué (ut opinor) in animadversionibus demonstravi.

Sed sententiam Rami de significatione disjuncti 30.
contra alteram quoq; reprehensionis meæ partem tueri conaris: & ais, me non solúm falli, quum axioma istud «
falsum esse dicam in eo disjuncto, in quo de ipso gene- «
re enunciatur divisio: sed etiam non minús errare, «
quum verum esse contendam in eo tantúm disjuncto «
in quo divisio enunciatur de specie generis divisi. Cur «
veró? inquam. Equidem (inquis) in omni é disjunctis «
divisione parem veritatem obtinet: sive sit divisio ge- «
neris in species, sive subjecti in adjuncta, aut adjun- «
cti in subjecta: præsertim quum Ramus non disse- «
rat, unicum é disjunctis semper esse re ipsa verúm, al- «
terum falsum: sed id ab enunciante significari & in- «
telligi, é disjunctis propositis unicum esse verum. At «
(inquam) hoc effugium nullam ad elabendum vim habet. Nemo enim sana mente præditus, quum divisionem de genere diviso enunciat, vel ipse intelligit vel aliis significare vult: unicum é disjunctis verum esse: sed nihil aliud agit, quám ut species ejus generis de quo loquitur, enumeret. Nam hoc genus disjuncti enunciati præcipué adhibetur ad declarationem ejus quæstionis qua quæritur, quot partes speciésve res proposita habeat. ut quum quæritur, Animalis quot species sunt? Duæ: nam animal vel rationale est, ut homo: vel irrationale, ut bestia. Alterum veró disjuncti enunciati genus, quo scilicet divisio enunciatur de specie generis divisi, non solet adhiberi ad declarationem quæstionis simplicis, ut prius: sed ad demonstrationem conjunctæ: ut, Rabirius aut cum Saturnino fuit, aut cum consulibus, aut latuit. quod enunciatum orator adhibet ad demonstrandum, Rabirium cum consulibus fuisse.

Petes fortaſſe á me, ut demonſtrem, hoc enunciato enunciari diviſionẽ de ſpecie generis diviſi. Id veró haud invitus faciam. Diviſio iſta trimembris quæ de Rabirio á Cicerone enunciatur, diviſio tunc erat civium Romanorum, quum ſeditionem moliretur Saturninus. Tunc enim cives Romani in tres quaſi ſpecies ex diverſitate locorum diſtincti erant: alii enim cum Saturnino erant, alii cum conſulibus, qui contra Saturninum arma ceperant: alii denique domi latebant. Quód ſi quis jam dicat, Omnes cives Romani eo tempore aut cum Saturnino fuerunt, aut cum conſulibus, aut latuerunt: num is vel ipſe intelligit, vel aliis ſignificare vult, é tribus iſtis disjunctis unicum verum eſſe? Minimé veró. quia nihil aliud docere vult, quám in quot partes tũc ſciſſi fuerint cives Romani. Ex qua commentatione & illud liquére poteſt, quám ſit utilis illa inter duplicem argumenti uſum diſtinctio: *declarationem* inquam & *demonſtrationem*. Quęres fortaſſe, an igitur enunçiati disjuncti quo de genere diviſo ènunciatur diviſio, nullus uſus ſit ad demonſtrandum? Eſt quidem, ſed tantúm in ſyllogiſmo ſimplici: ut,

Omne animal, aut homo eſt aut beſtia:
At Socrates eſt animal. vel,
At arbor, nec homo eſt nec beſtia.

Enunciati veró disjuncti quo diviſio enùnciatur de generis diviſi ſpecie, uſus totus ſyllogiſticus eſt: nec niſi in ſyllogiſmo compoſito locum habet, ut,

Rabirius aut fuit cum Saturnino, aut cum bonis, aut latuit:
At neque cum Saturnino fuit, nec latuit:
Fuit igitur cum bonis.

Sed antequam ad ſequẽtia pergamus, parumper quædam tua verba caſtiganda ſunt: ubi ſcilicet ais, » *Sive ſit* » *diviſio generis in ſpecies, ſive ſubjecti in adjuncta, aut* » *adjuncti in ſubjecta.* Non hîc reprehendam τὸ ἀνακόλουθον ſeu ἀκατάλληλον conjunctionis AUT pro SIVE, in membro diviſionis tertio: levis enim hæc ἀνωμαλία videri

deri possit: Sed quid sibi volunt illa verba, quum subjectum in adjuncta, itemque adjunctum in subjecta, dividi dicis. Nunquam enim subjectum in adjuncta, sed in species secundum adjuncta seu per adjuncta: nunquam item adjunctum in subjecta, sed in species secundum seu per subjecta dividitur. Verbi caussa, quum dicitur, Hominum alii sunt sani, alii ægri: hîc subjectũ homo, dividitur non in adjuncta, sanitatem & ægritudinem: sed in species, videlicet duo genera hominum, secundum duo illa adjũcta. Sic quum dividitur febris in ephemeram & putridam & hecticam, dividitur in tres species secundũ subjecta, videlicet partes cordis in quibus singula illa febrium genera inhærent: non autem in illa ipsa subjecta.


Supersunt animadversiones duæ quæ tibi immeritę & falsæ videntur: de duabus scilicet divisionibus syllogismi simplicis: altera in affirmatum & negatum; altera in generalem, specialem & proprium. Priorem negavi esse καθόλυ πρῶτον, seu reciprocam: quia communis sit etiam syllogismo composito. Tu primúm quidem accuratissimé acutissimeque contrá disputas: sed tandem nimio quodam studio obtinendi propositi, ad eam sententiã deláberis: qua concessa, totum illud acumen totaque illa ἀκρίβεια demõstrationis, penitus evanescit, meamque animadversionem nihil lædit. ais enim sub finẽ disceptationis hujus: Quid est cur syllogismus nomen « negati, potiús ab aliqua antecedentis parte, quám á cõ- « clusione acciperet? videtur ergo tibi, nullã justam caussam firmámve rationem afferri posse, cur syllogismus denominandus sit affirmatus aut negatus, potiús ab antecedente quám á conclusione. Vis igitur denominationes has sumendas esse á conclusione. Bene est: consentiunt judicia ac voluntates nostræ. Et hoc ipso judicio mea nititur reprehensio. Quód si ergo á cõclusione syllogismus, vel affirmatus vel negatus nominãdus est: affirmatus utiq;, cujus conclusio fuerit affirmata: negatus, cujus negata: quid est cur syllogismus compositus non

debeat æqué ac ſimplex, vel affirmatus vel negatus nominari? nonne enim omnis enunciatio, ac proinde omnis cujuscunq; ſyllogiſmi concluſio, vel affirmata vel negata eſt? Interim utcunque mea animadverſio per ſe ſpectata, vera eſt vel te ipſo confitente: tamen ſi cum ſententia Rami conferatur, alienam eſſe, nihilque eam lædere, fateor. Ramus enim appellationes ſyllogiſmi affirmati & negati, non é concluſione, ſed é ſyllogiſmi antecedente petivit: ut ex ipſius definitionibus liquet. Sed acuta illa tua ex multiplici diſtributione demonſtratio, præterquam quód principale propoſitum non obtinet, ſententiam etiam quandam genuit, quæ temere tanquam abſurdum innuit quod tamen revera abſurdum non eſt. Etenim de definitione compoſiti negati diſputans, inter alia hanc ſententiam profers:
» Si ſyllogiſmus negatus definiendus eſt ex negatione
» concluſionis, non cadit (inquis) in primum disjun-
» ctum: id quod tu ſcilicet tanquam abſurdum infers. At (inquam) hoc abſurdum non eſt. nam ut ſyllogiſmus compoſitus negatus is dicatur, qui concluſionem habet negatam: non eſt neceſſe ut propterea quivis ſyllogiſmus disjunctus, negatus ſit. ſicut non eſt neceſſe ut ullus ſyllogiſmus ſecundę figuræ ſit affirmatus: ſi ſyllogiſmus affirmatus definiatur ex concluſione affirmata. Ita vides mi Tempelle, te hîc anguſtis illis tuis interrogatiũculis (qualibus Stoicos uſos fuiſſe teſtatur Cicero) non tam me pupugiſſe, quám te ipſum penitus confodiſſe.

32. Tranſeamus nunc ad quæſtionem poſtremam, an ſyllogiſmus ſimplex recté diviſus ſit in generalem, ſpecialem & propriũ. Partitionẽ hanc reprehendi, eó quód duo poſteriora membra conſentanea mihi viderentur. Tu conſentanea non eſſe, é definitione ſyllogiſmi ſpecialis demonſtras: ut quę proprio ſyllogiſmo attribui nõ poteſt. Qua quidem ratione ſenſum Rami á mea reprehenſione fortiter vindicas: at interim tamen nõ evincis, Ramũ appellationes iſtas recté ad eum modũ uſurpaſſe.
Etenim

Etenim ut enunciatum proprium ſpecies enunciati ſpecialis ab eo efficitur: ita etiam ſyllogiſmus proprius, ſpecies ſyllogiſmi ſpecialis effici debuit. unde enim has appellationes ſyllogiſmo, niſi ab enunciatis é quibus conſtat, impoſuit? Sicut ergo enunciatum diviſerat in generale & ſpeciale: deinde ſpeciale in particulare & proprium: ſimiliter poſtea dividere ſyllogiſmum debuit. Quare non eſt ut dicas, me vocabuli ſimilitudine falſum ac in errorem inductum fuiſſe: ſed potiús Ramum inconſtantiæ in loquendo arguas: ut qui vocabulum illud (SPECIALE) nunc generaliter uſurparet, ſub illo Particulare & Proprium, tanquam duas ſpecies cōplectens: nunc veró ſpecialiter ad ſolū Particulare ſignificandum. Mihi quidem pauló accuratiús rē contemplanti, vocabulū illud SPECIALE, in diviſione enūciati, nec pro genere Particularis & proprii: nec ꝓ æquipollēte ſeu ſynonymo Particularis recté accipi videtur: ſed potiús pro ſynonymo Proprii. Quod ut plané poſſit ꝑſpici, age pauló altiús rē totā repetam⁹, & hac veluti coronide diſputationē hāc noſtrā cōcludamus. Enunciatū ſimplex é quātitate antecedētis (qđ ſubjectū vulgo nominant) dividendū videtur in univerſale & ſingulare. nā antecedēs illud, aut cōmune eſt aut ꝓpriū, ſeu (ut Logicé loquamur) aut generale aut ſpeciale. Jā quādo antecedēs enūciati ſimplicis, cōmune eſt: tū cōſequēs ſeu (ut vulgo appellant) prædicatū de eo poteſt dici bifariā. Aut enim dicitur de ipſo toto, hoc eſt de omnib⁹ & ſingulis ſpeciebus ſub eo comprehenſis: idque vel adjecto ſigno quātitatis, ut, *Omnis homo eſt animal*: vel omiſſo, ut, *Homo eſt animal.* Aut dicitur antecedens enunciati iſtiuſmodi, de ſubjecto communi non toto, ſed tantúm ex parte: idque ſemper adjecto ſigno quantitatis: ut, *Quidam homo fuit reliquorum omnium pater, Quidam homines ſunt á Deo el. cti ad vitam æternam.* Hoc genus enūciati videtur nominandū *infinitum*; quia ſignū quātitatis particulare, etſi genus ad ſpeciē ſpeciéſve aliquot reſtringit: tamen ſpeciē ſpeciéſve illas nō definit, nec diſerté indicat. Sic certé Grāmatici Græci ꝓnomen τὶς, τὶ

id est, aliquis, aliqua, aliquid) quum non accipitur interrogativé, infinitum vocát. Aristotelici hoc genus enunciati vocant propositionem particularem, haud incommodé: quia consequens ipsius de antecedentis tantúm parte enunciatur. Alterum veró illud, propositionem universalem nominant: quia consequens de antecedẽte universo dicitur. P. Ramus appellavit generale: & particulare complexus est sub speciali: non recté. Nam quod particulare est, id etiam generale est, non minús quám id quod est universale: quippe quia æqué atque illud, ex antecedente generali constat: ut ex positis & declaratis exemplis intelligi potest. Itaque quod Ramus appellat enunciatum generale, id potiús universale vocandum est: & nomine enunciati specialis intelligendum solummodó enũciatum proprium: quod quidem potiús cum vulgo appellandum videtur singulare. Quo modo ipse quoque Ramus in doctrina de methodo, universalia & singularia (nempe enunciata) inter sese opposuit. Quæ omnia ut meliús pervideri possint, age veluti in tabella in conspectum proponantur.



Sed fortasse divisio mea enunciati universalis non videbitur tibi κατὰ παντός: eó quód recepta in scholis opinio est, propositiones (uti loquuntur) indefinitas seu indisterminatas, interdum quidem æquipollere univer-

salibus, in materia scilicet necessaria: interdũ veró particularibus, ut in materia contingente. Quæ opinio si vera sit: tum etiam particulare enunciatum, aut disterminatum fuerit aut indisterminatum. At ista, inquam, opinio falsa est. nam enunciatum ἀδιόριστον, id est, signo quantitatis non disterminatum seu definitum, semper universali æquipollet. Etsi enim non semper universaliter vera sunt quæ indefinité enunciantur: tamen eo sensu enunciantur, ac si universaliter vera essent: id quod probatorum authorum exempla comprobabunt. ut illud Virgilii Æneid.10. *Audentes fortuna juvat.* etsi universaliter intellectum, falsum est: tamen tanquam universaliter verum, á Turno pronunciatur. Hortatur enim horum verborum argumento Turnus socios Rutulos ad fortiter adventantibus Trojanis resistendum: pronuncians, eos beneficio fortunæ victores fore, si fortiter restiterint. Sic igitur argumentabatur Turnus:

Si audentes fortuna juvat, audendum est.
Sed audentes fortuna juvat:
Ergo audendum est.

Hic si enunciatum illud quo argumentum continetur, particulariter intelligas: tum Turnus nihil concluserit. quis enim ad audendum moveatur hoc syllogismo?

Si aliquos audentes fortuna juvat (vel, *Si aliquando fortuna audentes juvat*) *jam igitur vobis audendum est.*
Sed aliquos (vel *aliquando*) *audentes fortuna juvat:*
Ergo vobis jam audendum est.

Habes jam (doctissime Tempelle) responsionem ad rationes tuas quas in tua ad me epistola exposuisti, cur quibusdam animadversionibus meis non valde assentiri possis. In qua responsione si quid me attulisse intellexero, quod non tam tibi (qui mea institutione minimé eges) quám iis qui harum rerum nondum satis periti sunt; prodesse nonnihil possit: equidem & illis gratula-

bor, quód suæ lectionis, & mihi gaudebo, quód meæ scriptionis fructum aliquem ceperim.

Porró quicquid hîc scripsi, á te (optime Tempelle) pro tuo candore in optimam partem acceptum iri confido: equidem testor, ea ab homine tui amantissimo, qui te tũ propter eruditionem, tum propter eloquentiam, tum veró etiam propter varias magnasque virtutes admiretur & magnifaciat, profecta esse. Quod superest, Deũ patrem luminum oro, ut præclarissimis tuis studiis successum largiatur: & lucem Logicæ veritatis, dispulsis sophisticarum argutiarum tenebris, in florentissimi Angliæ regni academiis quotidie magis ac magis, tua tuiq; similium, hoc est veritatis studiosorum, opera accendat: ad gloriam nominis sui, & regni Christi amplificationem. Amen. Vale. Scripsi Mœrsæ. 6. Octobr. 1581.

FINIS.



INDEX

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

Docen-

763

FINIS.

